



Specimen theologicum inaugurale de Joanne Coccejo, S. codicis interprete

<https://hdl.handle.net/1874/310849>

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

JOHN W. B. COOPER

A. COOPER & CO.

SPECIMEN THEOLOGICUM INAUGURALE

DE

JOANNE COCCEJO,

S. CODICIS INTERPRETE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUDOVICI GERARDI VISSCHER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE

IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

in academia Rheno-Trajectina

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GERARDUS VAN GORKOM,

Zutphaniensis.

A. D. XIX M. JUNII, ANNI MDCCCLVI, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS,

MDCCCLVI.

*Puto, me non posse melius de ecclesia Dei mereri,
quam si lectionem s. Scripturae omnibus faciam expe-
ditam et amabilem.*

COCCEJUS.

EVERARDO JOANNI VAN GORKOM,

LITT. HUM. DOCT., GYMNAS. AMISFURTENSIS CORRECT.,

FRATRI OPTIMO, CARISSIMO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS DEDICAT AUCTOR.

Quo me animo esse putas, Tibi, frater carissime, hancce dissertationem dedicantem! Mihi autem, eheu! non contigit huncce juvenilis laboris fructum parentibus carissimis offerre, quos in ipso aetatis flore ad se vocavit Pater Coelestis. Memoria vero recolenti annos post eorum excessum praeterlapsos, tuas palam praedicare laudes religio est. Quot quantaque a Te vere fraterni amoris documenta expertus sum! Quam intentis viribus id egisti, ut mihi a parentibus relicto omnibus modis opitulareris! Per longam enim annorum seriem nullum laborem recusasti, imo omnem lapidem movisti, ut votorum, quae intimo pectore fovebam, compotem me redderes, adeoque felicissimae vitae auctor mihi exstares.

At quid multa! Tibi, frater carissime, gratum non est, me ita pergere, — neque mihi sufficiunt verba, quibus, quae animo persentisco, eloqui possim. Benevole igitur huncce accipias libellum, de quo pauca jam liceat mihi monere.

Mihi autem, data facultate, summos in Theologia honores petenti atque dissertationis argumentum circumspectanti, viro- rum optimorum consilia, quibus accedebat, quam mihi studia monstrarent via, causae exstiterunt, cur ex patriae nostrae ecclesiae historia virum quemdam eximium disputandi materiem eligerem. Jam consilium de Coccejo scribendi initum haud improbavit ea qua est humanitate vir clar. VINKE, Promotor aestumatissimus; neque tamen, quas expecturus essem difficultates, mihi dissimulavit. Mox inter nos convenit, ut disquisitio mea in investigandis Cocceji s. Codicis interpretis maxime versaretur meritis.

De ordine autem, quem in elaboranda illa materie secutus sum, haec dicenda sunt: quoniam putavi, Coccejum interpretem recte cognosci non posse, nisi praemissa adumbratione eorum, quae ad viri vitam, studia et indolem pertinerent; in priore speciminis parte, quantum fieri posset, ante oculos proponere conatus sum, quaenam fuerit ipsius vita, studiorum processus, verbo, quemnam locum inter aequales occupaverit noster. Qua laboris parte absoluta, facilior mihi ad alteram erat transitus, in qua proponerem, quem locum inter s. Codicis interpretes obtinuerit. Omnia igitur, quae fusius in altera disquisitionis parte sunt exposita, in priore jam delineata inveniuntur; adeoque inter utramque partem arcissimum in-

tercedit vinculum. Fontes, unde hausi, data opportunitate, laudantur. Pro virili parte, Cocceji ejusque aequalium opera adii; deinde secundariis, qui dicuntur, fontibus, seriorum nimirum scriptis usus sum. Persuasissimum sane mihi est, multa in hoc specimine desiderari. Sed meliora speramus. Utinam mihi contingat majorem in posterum operam dare historiae ecclesiae patriae indagandae, ad quam perscrutandam magni nominis viri et verbis et exemplo juvenes studiosos hodie acriter excitant.

En igitur, frater carissime, nonnulla de scripto quod Tibi mitto. Non est, quod multa addam. De praeceptoribus enim, quos habere in academia Rheno-Trajectina mihi contigit, quid sentiam Te non lalet. Quantum eorum institutioni et benevolentiae debeam, ex me audire soles.

Neque est, quod omnia hic repetam, quae bona ab aestu-
matissimo Promotore in me redundarint, qui, pro singulari erga me benevolentia, quotiescunque opus esset, consiliis et monitis mihi adesse haud recusavit.

Accipiant porro omnes, qui me puerum atque adolescentem amore et auxilio prosequi non dedignati sunt, gratias debitas. Omnium, quibus me obstrictum sentio, commemorare hic non possum nomina; singulis tamen bona apprecari singulorumque in me merita grata mente conservare nunquam desinam.

Sciant denique sodales et amici conjunctissimi, id imprimis me in votis habere, ut maneat atque crescat in aeternum amicitia nostra!

Finem hisce litteris imponere non prius possum, quam Te et omnes, quos nactus fuerim lectores, enixe rogem, ut, quos commiserim erroribus ignoscatis. Ceterum, frater carissime, largiri Tibi pergat instauretque vires Deus Optimus Maximus, quibus Te adhuc usum esse animo laeto gratoque Ipsi gratias agimus debitas. Servet Te tuis tuosque Tibi incolumes! Vale, persuasumque Tibi sit, me id agere velle, ut quodammodo saltem respondeam amori singulari beneficiisque eximius, quibus me semper prosecutus es, et ut prosequi pergas etiam atque etiam rogo.

Dabam TRAJECTI AD RIENUM die XII mensis Junii 1856.

CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

DE COCCEJI VITA, STUDIIS ET MORIBUS.

- § 1. Cocceji pueritia et adolescentia (1603-1630). p. 1.
- § 2. Coccejus professor Bremensis, Franekeranus, Leidensis (1630-1658). " 10.
- § 3. De loco, quem inter theologos Nederlandicos sui temporis Coccejus obtinuit. " 21.
- § 4. De litibus, quibus Coccejus in ultimo vitae spatio implicatus est. Coccejus defensus ab invectionibus adversariorum. . . " 33.

PARS ALTERA.

DISQUISITIO INTERIOR DE COCCEJO S. CODICIS INTERPRETE.

- § 1. De Cocceji regula "verba omne id significant, quod significare possunt." " 45.
 - § 2. De via ac ratione, quam in V. Test et in vaticiniis interpretandis Coccejus secutus est. " 62.
 - § 3. De vi ac efficacitate, quam Coccejus s. Codicis interpres habuit, atque habere etiam nunc meretur. " 75.
-

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and includes some headings that are difficult to decipher. Some words like "THE" and "AND" are visible but mostly obscured by the bleed-through.

PARS PRIOR.

DE COCCEJI VITA, STUDIIS ET MORIBUS.

§ 1.

Cocceji puerilia et adolescentia (1603-1630).

Anno 1603, quo in academia Leidensi theologiae professionem adiit Arminius, Bremae natus est Joannes Coccejus ex familia antiquiore, quam ut origo cognoscatur. Antiquitatem familiae insignia testantur monumentorum, quae adhuc exstant in aedibus aliquando sacris, quae dudum aliis usibus civitatis cesserunt. Nomen familiae popolare est Cock ¹⁾. A praeceptoribus et condiscipulis noster appellatus est "Coccejus," neque ipsi displicuit nomen, quum vernaculum latina flexione varie videret deformari.

Pater ejus fuit Timannus, avus Gerhardus, proavus itemque abavus Joannes. Certum est, satis multos ex

1) Quod nomen et noster postea servavit in inscriptione libri "*Codices Talmud. Sanh. et Maccoth.*" Cocceji Operum Tom. VII edit. secunda.

hacce familia ortos esse boni nominis viros ac non contemnendae dignitatis, multaue ab iis civitati ecclesiaeque egregia praestita esse officia. Quorum exemplum amandae religionis ac libertatis saepius domi a patre filiis inculcatum est.

Pater Timannus per triginta tres annos scribae urbis Bremae munere cum fide ac gnaviter functus est. Quem filii perpetuum habebant *ἐργολάκην* ¹⁾. Neque enim sinebat eos otiosi; sed potius, si quando vacui essent, sui muneris scripturis aut lectionibus exercebat.

Matrem noster habuit Elizabetham Baken, filiam Joannis Baken, in seniorum civitatis collegio non ultimi, cujus et filii et generi et nepotes non minus quam plurimi de ipsius Cocceji nostri majoribus, senatoria, consulari, aliisque dignitatibus ornati atque insignes exstiterunt.

Ex his parentibus igitur natus, noster Joannes simul cum fratre Gerharo pie ac severe educatus est. Jam mature parentum cura sacrae Scripturae ei legendae dabatur, quod sine dubio id effecit, ut tam arte cum illis consueverit, ita familiares eas sibi reddiderit, ut nulla postea scripta prae illis aestimaverit, aut studio suo digna judicaverit.

Annos natus quinque a patre deductus est ad Andream Widmarium, patriae scholae rectorem, patrem Abdiae Widmarii professoris Groningani. Domi praeceptores ambobus fratribus dederunt parentes, ne usquam essent neve quidquam agerent a nullo observati. Severitati parentum id Joannes se putavit debere, ut per totam vitam turpe ha-

1) Sic ipse noster in suae vitae, quam dedit "delineatione." Ex qua delineatione postea a filio Jo. Henrico continuata atque praefationi inserta, quam hic patris "operibus" praemisit, imprimis in vita Joannis nostri describenda hausimus.

beret mentiri, et ita versatus sit inter homines, ut non cogeret jurare, neque unquam Dei nomen temere ferret.

In scholis ita vixit, ut se omnibus praeceptoribus carum redderet, ingenioque suo ac felici processu ita se iis commendaret, ut plerumque tamquam hypodidascalus ab iis adhibitus sit, qui condiscipulorum recitationes aut responsiones moderaretur et corrigeret. Saepe per integras quoque horas fere solus cogebatur prae reliquis respondere, quod magno ei incitamento erat, ne unquam imparatus esset.

Jam tum delectabatur lectione Graecorum historicorum et poetarum, et quum ex paedagogio emittendus esset, oblatam sibi a paedagogii rectore materiam "*de cruce Christianorum*" biduo Graece reddidit et carmine Graeco explicuit. In lingua Hebraica partim a fratre adjutus, "quocum odas Davidicas uti et Graecos versus cantillabat," partim suomet Marte jam tum se exercere coepit. Cujus linguae amore instinctus sibi comparavit lexicon Munsteri et deinde Pagnini, quorum auxilio satis magnos progressus fecit.

Quum vero eum taederet opperiri tardiores profectus sociorum, ad virum Gerh. Hanewinckelium, Hebraeae linguae prof. accessit, quo hujus studii moderatore uteretur. Cui quum plura redderet, quam is injunxerat, post paulo jussus est aliquid de Graeco libro "*Sapientiae*" Hebraice vertere. Quae feliciter peracta sub oculos venerunt Matth. Martinio ¹⁾, illustris scholae Bremensis tunc rectori. Ab eo inde tempore cum utroque praeceptore usum habuit

1) Martinus fuit discipulus Piscatoris atque unus in paucis linguarum Graecarum et Orientalium peritissimus. Anno 1618 urbe Brema ad Synod. Dordrac. missus est. In Theol. idem fere sentiebat ac Cameron, Amyraldus aliique scholae Scaumuriensis. Notissim. est ejus "*Lexicon Philolog.*"

familiarē, eorumque auspiciis in intimam Orientalium linguarum indolem magis magisque penetravit, quamvis commilitones suos et aliis exercitiis conaretur aequiparare. Ipse agnovit singularem hac in re divinam providentiam, qua magno impetu ducebatur ad impensius colenda philologiae sacrae studia, quibus ad interpretandum Sacrum Codicem per omnem vitam adeo insigniter ac eventus docuit, indigeret.

Amicum habuit Matth. Czanski Ungarum; a quo semel rogatus, quamdiu vellet discere linguam Hebraeam, respondit, "Donce Jesaiam intellexero sine interprete." Gerh. Neufvillio auspice metaphysicis et physicis operam dedit; in theologicis M. Martinium et Lud. Crocium audiit. Maxime autem delectabatur interpretatione Scripturae et Martinii collationibus de capitibus et libris s. Scripturae. Peritiae suae linguae Graecae circa hoc tempus duo eximia rursus dedit specimina; alterum in colloquiis cum Metrophane Critopulo Graeco, qui tunc Bremam venerat; alterum in composita ex diligente lectione Corani, suasu Martinii, "*Oratione de religione Turcarum*" 1).

Dein, Martinio monente, Coccejus Hamburgum se contulit ad Judaeorum doctores — circa annum 1625 — ut ab iis instrueretur scriptis Rabbiniis, quae res egregie processit. Ibidem primo nactus est Catechismum Racoviensem,

1) Exstat cum versione Jo. Creichtoni in "Anecdot." Tom. II. p. 519 et seq.

Opera Cocceji primum a filio Jo. Henr. edita sunt Amstelodami anno 1675 vol. VIII; anno 1686 iterum edita sunt Francof. ad Moenum; denique anno 1701 Amstelod. X vol. Huicce editioni addita sunt "Opera anecdota" vol. II. Editione secunda nos utimur.

cujus lectione permotus quam maxime abominatus est Soci-
nianismum. Eodem fere tempore commercium habuit cum
Martinio epistolarum Graeco sermone.

Alias vero visurus academias maluit ad Belgicas ire quam
ad Germanicas, quae adverso erant rumore. Itaque mense
Sept. anni 1629 Francqueram ivit, ut Sixtimum Ama-
mam ¹⁾ cognosceret, Joannis Drusii discipulum, atque
ob insignem cruditionem singularemque linguarum Orienta-
lium peritiam summo honore habitum. Mox Amamae valde
carus fuit; et multa cum eo conferens de Talmudicis et de
Maimonidis syntagmate cui "*Manus validae*" titulus, hortatu
ejus "*versionem codicum Palm. Sanhedrin et Maccoth*" cum
adjunctis notis adornavit, quem librum typis editum magni
viri Heinsius, Rivetus, Grotius, Salmasius, l'Em-
pereur, de Dieu aliique non parce laudibus prosecuti
sunt. Scripsit hac occasione Amama in epistola libro illi
prae fixa ad Martinium: "Promittitudinem in lingua Latina
et facundiam eximiam ex tuo gymnasio Coccejus ad nos
attulit. In litteris Graecis et Orientalibus Hebraea et Chal-
daea, Syriaca et Arabica eos jam tum quoque, quum in
hanc academiam primo inferret pedem, fecerat progressus, ut
in celeberrima academia eas publice cum fructu et fama

1) Egregie Amama de ecclesia meritis est eo, quod sedulo et indefessa in-
dustria operam dabat, ut antistitibus ecclesiae Protestantium commendaret ma-
jorem linguarum S. Codicis originalium in S. S. Min. Candidatis requirendam
peritiam. Cujus industria factum est, ut Synodi Frisiae, Groninganae, Hol-
landiae utriusque et Ultrajectinae decreverint — anno 1624, 25 et 26 —
"neminem ad examen ministerii ecclesiae admittendum, nisi qui tum testimoniis
professorum Hebraeae et Graecae linguae, tum edito apud classem specimine
doceret, eos saltem se in his linguis fecisse progressus, ut originalem Vet.
Novique Testamenti textum mediocriter intelligeret." Vid. Vriemoet "*Athe-
nae Frisiae*" p. 173.

docere potuerit." Porro: "De studiis ejus ita breviter statuo, excitatum cum divinitus esse ad provehenda altius linguarum Orientalium studia et reserenda nobis Judaeorum sacraria." Denique: "Verum enimvero si ex annorum aliquot continua conversatione et uniformi vivendi modo judicare fas est, audebo hunc juvenem appellare vivam virtutis imaginem. In conversatione religiosissimus temporis dispensator multitudinem vitavit familiarum, atque conversatus est cum paucis quos ipse probavit bonos."

Sicuti cum Amama, ita et cum multis aliis egregiis viris amicitiam junxit. Cum Graecae linguae professore Georgio Pasore in eadem domo vixit. Theologos porro Franeque-
ranos Joann. Maccovium et Guil. Amesium praeceptores et amicos habuit. De Maccovio sic testatur ipse Coccejus: "ad extremam usque lineam diligentia institutionis publice privatimque eminuit. Discipulis fuit carissimus. In sententia explicanda candidus et minime tergiversator; in defendenda eloquens, promptus, acutus, acer." Amesius, olim Puritanis addictus, id maxime egit, ut theologiam avocaret a quaestionibus et controversiis spinosis, perplexis et minus necessariis, et ad vitam practicam eam reduceret. "Hostis juratus theologiae scholasticae; laudatissimus theologiae practicae et moralis inter suos restaurator et monitor, ne in solis controversiis et disputationibus prora et puppis collocaretur, patheticus. Patriam suam Angliam ex odio episcopalis domini et regiminis reliquit" ¹⁾. Quantae qualesque igitur Coccejo, dum in Frisia commoratus est, datae sint opportunitates, quibus studia ejus egregie proce-

1) Vid. Weismannum "Hist. Eccl." Tom. II. p. 860.

derent, ingenique et animi facultates excolerentur, facile intelligitur.

Circiter annum 1629 lis exorta esse videtur Coccejum inter et Sebast. Pfochenium. De qua pauca hic memoranda censemus. Pfochenius "*diatriben de linguae Graecae N. Test. puritate*," ediderat contra Hebraismorum et styli Hellenistici patronos, maxime Bezam ac Drusium; tectaque ibi Coccejum adortus fuerat. Ipse hic semper dissimulavit hanc litem, cujus fortasse ansam amicus Pasor dederat. Nusquam in scriptis suis de ea mentionem facit, leviter dumtaxat eam et valde humaniter tangit in praefatione ad "*Cod. Talm.*" ubi dictis nonnullis de Judaeis Hellenistis et Hebraismis N. Test. sic ait: "Sed haec nos fortasse longius, quod profecto non fuisset facturi, nisi nos adegisset quorundam bonorum virorum eorumque amicorum sententia" 1).

Sed majoris nobis videtur momenti hoc loco referre cogitationes, quas in eadem praefatione de linguis s. Codicis originalibus Coccejus edidit. Huc fere redeunt. "Sacros libros," sic ait, "partim sermone Hebraeo cui pauca Chaldaica interserta, partim Graeco scriptos esse nemo est, qui ignoret. Hebraeam linguam veteris Test. nullo modo rectius disci, quam assidua et attenta phrasium biblicarum inter se collatione, equidem haud eo infitias. Tamen sunt multa verba ac locutiones, quorum sensum ac significationem investigare apud eos, qui eadem lingua usi sunt ipsa ratio suadet; quo-

1) Historiam hujus controversiae vide apud Rhenferdium in "*Praef. Syntagm. dissertat. de Stylo N. Test.*" In qua praeter Pfochenii "*diatriben*" legantur et Cocceji ad eum "*stricturae*."

rum ipsorum auctoritas etiam in illis, quae rara sunt in bibliis, nullius ponderis non esse debet, quod illis ea lingua vernacula esset. Neque recentiorum Hebraeorum ductu ad sacras exponendas litteras uti Christianum pudeat interpretem. Ili nimirum toto aetatis suae cursu uni ci rei operam dederunt, ut sacri contextus mentem vel ex usu biblico, vel ex usu antiquorum, vel ex eorundem testimoniis excuderent. Hoc est, quod me ad veterum magistrorum scripta adeunda et ab ipsis Judaeis discendum primo commovit. Instituti hujus cur me non poeniteat, faciunt haud paucae, quae ex Talmude et iis, quae reliquae sunt ab ipsis auctoribus mihi jam provenerunt utilitates.”

Ostendit porro cognitionem Talmudis Talmudicorumque scriptorum ad novum quoque Test. multum afferre lucis. “Id Graeco,” inquit, “sermone perscriptum esse constat. In Graeco autem sermone eam adhibuisse loquendi rationem Apostolos, quae ut perciperetur non major Judaeis quam Graecis labor esset, docti sciunt. Quocumque fere venissent Apostoli, primum in Judaeorum synagogis praedicabant. Hi quum primum inter Graecos versari coepissent, linguam eorum addiscere debebant. Sic autem fiebat, ut detortis ad suae linguae morem vocum significationibus phrasibusque, plurimum ab antiqua Graecorum loquela desciscerent. Qua in re, quum se Graeci, quibus cum Hebraeis congressus et negotium erat, illis accommodarent, nova et peculiaris dialectus constituta est, qua dialecto Apostoli in scribendo usi sunt.”

Eodem fere tempore — anno 1629 — frater Cocceji visendae Hollandiae causa Brema venit. Quocum uti alia oppida, ita etiam Lugdunum vidit. Ibi cum Polyandro,

Riveto, Heinsio aliisque magni nominis collocatus est viris. Jam pridem Groningae a Fr. Gomaro humanissime acceptus fuerat.

In patriam eodem anno redux de itinere Gallico cogitavit, quum, ecce, Matth. Martinius mortem obiit. Senatus scholae Bremensis monitus a Conr. Zenremanno, decano Capituli ad S. Ansgarium, Coccejo ad se vocato tunc significavit voluntatem suam cum adhibendi ad theologiae professionem. Respondit se nihil aliud cupere quam patriae inservire; ceterum se consulturum suos humeros, quam partem sanctae professionis sustinere posset, quum senatus id onus ei imponere dignaretur. Deinde consilio amicorum audito, quibus scientia linguarum maxime pollere videbatur, rogavit senatum, ut ad eam partem adhiberetur. Quod a senatu concessum est. Titulum tunc obtinuit professoris philologiae sacrae, sub quo titulo, ut ipse scribit, "licebat ei facere, quae posset et vellet." Collegas habuit theologos I. Crocium, olim praeceptorem, et C. Bergium amicum.

Itaque viginti septem annos natus summam jam obtinuit dignitatem. Neque sane immerito, quod concedat necesse est quicumque attente adhuc eum observaverit viventem ac laborantem. Praeterea si bene attendimus ad vitae spatium quod eum confecisse vidimus, melius sanc ipsum Coccejum cognoscemus, sicut postea se nobis offert. Inde a prima enim aetate continuo labori assuefactus sensim assiduitatem perseverantiamque illam nactus est, quibus adjutus ingentes illos labores perficere potuit, qui nominis immortalitatem ei vindicarunt. Vidimus porro ejus ingenii proclivitatem, praeceptores quibus usus est, commercium quod cum eruditis Judaeis habuit, ceteraque permulta concurrisse ut

summam linguarum illam sibi compararet peritiam, qua magnus ille s. Scripturae interpret evaderet, quem fuisse cognitum habemus. — Neque hic praetervidendum Coccejum Bremae ac Hamburgi, nec non Franequerae inter theologos maxime versatum esse Melanthonianos ac Lutheranos, eumque imprimis alienum factum esse a theologia scholastica id temporis in dies magis auctoritate crescente. Quae quum ita sint, non tantum linguarum peritiam, sed etiam liberaliorem sensum, haud minus ad s. Scripturam interpretandam necessariam, jam adolescentem eum consecutum esse constat; etsi ab altera parte negari non potest minus salutarem quoque vim in eo adolescente habuisse nimiam confidentiam, qua institutionem doctorum Judaicorum amplexus est. Quod fusius infra exponemus. Nunc progrediamur in vita ejus describenda.

§ 2.

*Coccejus professor Bremensis, Franequeranus,
Leidensis (1630-1658).*

Professionem Bremensem adiit, habita oratione inaugurali d. XIII Kal. Dec. ann. 1630, "*de Philologia Sacra*"¹⁾. In obeundo munere sibi oblato, ab ipso initio Coccejus egregiis gavisus est discipulis. Auditores in Graecis litteris habuit Jo. Fred. Gronovium, Jo. Dalenium, Ch. Perizonium et Joann. Heilerfigium, viros deinde celebres

1) Invenitur in "Anecd." Tom. I, p. 55 et seqq.

et eximios. Et profecto, summo animi ardore permotus id a principio egit noster, ut discipulos suos adhortaretur, ut omni levitate a se remota, summam industriam in philologia sacra colenda collocarent. Quod ut lucido appareat, liceat nobis nonnulla ex oratione inaugurali legenda hic dare, quae lectu haud indigna fore speramus.

“Animadverti,” sic ait, “quosdam si grammaticae praecipuas regulas conformationesque ac constructiones verborum mediocriter didicerint atque eo pervenerint, ut radicem explicare et psalmum unum atque alterum grammaticae resolvere, et quod est in hac vel illa versione Hebraice possint agnoscere, satis se philologiae sacrae operatos esse existimant et statim magno impetu veluti Icaris pennis ad theologiae interioris adyta se proripiunt, controversiarum incertissimum pelagus ingrediuntur, concionandique partes sibi magno animo et fiducia deprecant. Quid autem manifestius est, quam a principio ad finem nos non pervenire nisi per medium? Aut quid proderit ostium per quod sacrarium intratur novisse, nisi hoc ipsum et aperire et ingredi velis? Sive oculos habere, nisi velis videre? Nam grammatica oculum quidem unum capiti tuo indit, alterum logica, quibus verum videas; philologia lumen allucet ut videas. Quod si tu oculos clauderis nihil sane cernes amplius quam coecus natus.”

“Haec philologia,” sic pergit, “scientiae culmen inter mortales absolvit. Haec est columna ignis, quae nobis ad caelestem Canaan contendentibus praelucet; haec fax, cujus beneficium est, nos in caligine mortis ambulantes non aberrare.” Laudata sic vivis coloribus salutari philologiae sacrae vi et efficacitate, quid agat philologus dein exponit. “Philologus omnem loquendi consuetudinem observat; causas verborum

indagat, proprietatem definit, vocis cum re proportionem metitur, significationum ordinem et rationem expendit; quae rei substantia, quae vis, quae mens, quod praeceptum, quae veritas in vocabulis inclusa sit scrutatur, nihilque adeo de illo genere rerum in mentem et cogitationem venire potest, quod non philologus ex verbis conetur exprimere. Philologia igitur ingenium acuit ad rerum optimarum meditationem; intellectum confusione, mentem haesitatione atque dubitatione liberat; iudicium vero in veri et falsi, certi et dubii, compertorum et probabilium, recti pravique, utilium atque inutilium distinctione eximie juvat."

Dicit porro philologiam sacram modestiae unicam, saltem non postremam esse magistram. "Haec enim," inquit, "videt tantum esse sensus in oraculis divinis foecunditatem, ut nullius hominis intellectu exhauriri possit." Ne quis haec legens putet, his verbis sententiam Cocceji inclusam esse, qua statueret eas esse Scripturae sensus divitias, ut omnes fere ex eo repeti possent significationes. Qua de re infra nobis disserendum erit. Hoc loco saltem Coccejus id significare nequit, quippe qui statim ita pergat: "Haec videt quae interpretatio apta rei, quae apta verbis, quae non damanda, quae repudianda sit; illam non latet quae sit in definiendo et discernendo difficultas, quae audax et periculosa vel affirmatio vel negatio. Illa eadem errores facilius deprehendit, clarius detegit, fortius impugnat, gravius refutat etc. etc. "An non," sic paulo post rogat, "an non hujus philologiae vis potestatem tenebrarum destruxit, conscientias in libertatem asseruit? Testor eos, quorum ore Deus regnum Antichristi nunc expugnavit, quorum stilo bestia ad mortem sauciata est, Lutherum, Melanthonem, Bucerum,

Zwinglium, Calvinum, Bullingerum, Bezam, Junium ceterosque heroes, quorum memoria est in benedictione. Pleni sunt horum omnium libri una hac voce, linguas et philologiam sacram Babylonis muros diruisse." Diserte affirmat Coccejus theologiam sine philologia intermorituram esse. "Theologia," sic pergit, "proprie sermonem de Deo sonat; philologia sacra amorem studiumque sermonis sacri vel divini ad sacrum finem. Nomina ipsa te adigunt, ut confiteare hominem de Deo loqui non posse, nisi prius Deum de se ipso loquentem audiverit et intellexerit. Philologus igitur in contextu et serie sermonis divini versatur, et quid passim veritatis verbis subsit expromit; exprompta theologo porrigit, qui haec in classes disponit. Theologus igitur, quando velut apes ex floribus mel, ita intelligentiam ex verbis veluti sugit, eo ipso est philologus; philologus vicissim quando veluti eadem apes succis herbarum favos explent, ita ex variis notitiis habitum quemdam absolutum constipat atque colligit, hoc facit ut theologus: "Theologia igitur," sic tandem exclamat, "si sese a sacra philologia separet atque secernat vel nudam humanae traditionis habebit auctoritatem, vel si qua fide digna erit, eam merebitur a doctrinae consensu, qui tamen perrarus est, vel, quod est humanae mentis libido et intemperies, quem jam, eheu! concepit copiosissimum foetum rixarum et contentionum inanium et otiosarum logomachiarum pariet. Si e contrario cum eo conjuncta maneat ad amorem virtutis, desiderium aeternitatis, spem gloriae, tolerantiam aerumnarum, in animis ingenerandam et perficiendam vim habebit permagnam."

Atque hic si quis forte Coccejo opponat quorundam patrum ecclesiae, maxime Latinorum dignitatem, qui quum

fontium prorsus essent imperiti, egregios tamen de verbo Dei scripserint commentarios, hoc sane haud negare vult noster; audacem autem eum vocat, qui neget eos patres, qui unica versione contenti fuerint, in obscurioribus locis veram interpretationem saepius non dedisse, sed non raro longe ab ea remotos fuisse: denique non potuisse illos habere eam animi certitudinem, quam habet is, qui scit nihil se nisi ex divino praescripto loqui. "Postremo," sic addit noster, "qui illo tempore talia scribendo maximam laudem adepti sunt, hoc tam litterato seculo si viverent, sine dubio emendatissimis et solidissimis meditationibus in silentio fortasse doctissimos nostrorum continerent."

Exposita ita clare et eloquenter philologiae colendae necessitate, causas deinde attingit Coccejus, cur a multis adhuc neglecta sit. "Non possum," inquit, "silentio praeterire quod plerisque hanc exercitationem suspectam reddit. Sunt scilicet perversissima homines scientia, qui nil magis in religione vereri videntur, quam ne qua in re cum ullo consentiant. Qui inter nos sunt paulo eruditiores, non vulgarem aut superficialiam operam divini eloquii fontibus impendunt, sed in scopo et ordine agendi atque primo sentiendi principio multipliciter peccant. Non enim hoc illis fidei principium et fundamentum est, ut quod invenerint Deum dixisse id sine dubitatione credant, sed ut quod ipsi credunt id Dei verbo consentaneum videatur. Atque hoc fine linguas addiscunt, ut, si quae sit vel minima in verbis ambiguitas, id sibi clypeum faciant eludendae veritatis, non vero considerent, quo loco, quo fine, quam saepe, quam uniformiter, ubi proprie, ubi per metaphoram et figuram Scriptura loquatur. Legunt illi verbum Dei et scrutantur, sed ut

aranei optimos succos in venenum convertunt. Quo magis hoc tempore non est dormiendum, sed maximopere vigilandum, seduloque curandum, ut telum illud, quod ipsi in multorum perniciem vibrant, e manibus ipsorum extorqueatur.

“Omnis” sic exclamat, et profecto verba ejus dignissima sunt quae hodie quoque audiantur: “omnis cautio et industria adhibenda est, ut studio absit confusio, et immaturitas, adsit soliditas; diligentia vitet curiositatem, spectet utilitatem; scientia praesumptione careat, sobrietate vero et caritate temperetur; certitudo constantiae adsit, pervicacia depellatur; doctrina aedificationem habeat, inanis vero gloriae sit vacua cupiditate.”

In eadem oratione Coccejus conqueritur de illis hominibus, qui studia philologica suspecta reddunt dicentes gignere ea “novatores et haereticos,” atque reddere ad studium theologiae ineptos. “Illis,” exclamat indignans, “jurare in alius verba, id est esse orthodoxum; non sacrarum litterarum ebibere medullas, sed de rebus divinis et metaphysica Aristotelis vitiligare, de vocibus terminisque humanis contendere, hoc est esse theologum; sermone composito aures populi mulcere, allegoriis putidissimis tempus terere et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem, id est, ovile Christi coelesti pabulo cibare.”

Sic Coccejus. Nemo profecto hisce auditis non assentitur eum summo ardore id egisse, ut studia philologica quam maxime promoveret, — quippe quae sine detrimento veritatis et pietatis intermitteri non posse statuerit. Neque in obeundo munere sibi oblato studiis exegeticis non profuit. Explicuit libros praecipue V. Test. in iisque “Eccle-

siasten," quem et dein edidit ¹⁾). Praesedit item studiosis disputantibus de locis s. Scripturae.

Anno 1635 uxorem duxit Catharinam Deichman, illustri familia natam. Haud longe autem tunc dies absuit, qua ex urbe patria aliam in locum migraret. Sequenti enim anno Ordinibus Frisiae visum est academiam Franequeranam instaurare. Coccejus, cujus nomen, ut vidimus, jam quum alumnus erat academiae illius, celebre factum erat, a Curatoribus vocatus est ad professionem Hebraeae linguae. Quod munus, habita deliberatione cum collegis et amicis, amplectendum sibi censuit, cogitans "posse se tantisper in loco non obscuro de publico bene mereri, donec in majoribus patriae utilis esse posset." Mense Octobri igitur Franequerae orationem habuit inauguralem "*de dono linguarum effuso in Apostolos.*" In summo honore ibi habitus, virorum nobilissimorum usus est eximia benevolentia ac favore. Georgio Pasore circa hoc tempus mortuo, noluerunt Curatores hanc professionem diu vacare. Ideo ipsum nostrum rogarunt, ut Graecas lectiones interim haberet, donec idoneum virum reperissent. Quorum postulationi concedens orationem habuit "*pro commendando linguarum studio;*" postea vero, anno 1639, Ch. Schotano reliquit provinciam sibi traditam.

Quum autem munere suo per septennium egregie functus esset, atque simul edidisset eruditionis suae theologicae specimen haud contemnenda, novum rursus obtinuit honorem. Scriptum enim ediderat Grotius, agens de s. Scripturae locis, in quibus sermo est de Antichristo, atque probare conatus fuerat in locis illis non respici ad papam Romanum,

1) Oper. Tom. II invenitur.

sed ad Simonem Magum aliosque. Commentarium quoque in epistolam ad Ephesios scripserat, in quo a Pelagianismo haud alienus visus fuerat. Utrique scripto cogitationes suas opposuit Coccejus, quae tam benevole acceptae sunt, ut theologiam ei offerrent professionem Curatores.

Itaque inauguratus est d. IX Dec. ann. 1643. Orationem tunc habuit "*de indole, radicibus, et regno falsae, typoque verae religionis ac ministri ecclesiae*" 1).

Proximo anno creatus est theologiae doctor, renunciante collega Maccovio. Novo munere se prorsus dignum esse satis ostendit iis, quae discipulis praestitit explicando gravissimos s. Scripturae locos. Per septennium enim quo illud munus gerebat, egregios commentarios dedit in epist. ad Hebraeos, ad Colossenses atque in prophetas minores. Insignem quoque in Jobum tunc edidit commentarium, cujus et laudatorum et vituperatorum haud parvus numerus. Imprimis autem hic memorandum Cocceji scriptum, cui titulus "*Summa doctrinae de foedere et testamento Dei.*" Quod primum editum est anno 1648. Quae ibi leguntur utique sciat necesse est, quicumque Cocceji theologiam penitus cognoscere cupiat. Idem valet de commentario in "*Ultima Mosis*" circa hoc tempus quoque edito, in quo exponit regulas suas de prophetarum interpretatione.

Ita conatus fuerat continuo labore Frisiae academiae studium suum probare, quum fama ejus crescente, ecce, oblata ei est professio theologica in academia Lugduno-Batava. Per

1) Exstat Oper. Cocc. Tom. VII. Dedicata est clarissimis collegis, quibuscum non minus quam cum rude donatis superiore septennio, per superius septennium "ita se vixisse dixit, ut et pacis jucunditate et veritatis ingenuitate et amicitiae fidelitate non caruerit."

quatuordecim annos jam Franequerae versatus, non nisi invitus urbem hancce relinquere potuit. Quantas ibi expertus fuerat res sibi et ipsi suisque studiis summi momenti! Jam pridem observavimus plurimum cum debere institutionibus Amamae, Maccovii et Amesii; haud minus profecto ei profuit consuetudo valde familiaris, quae cum inter et collegam Cloppenburgium exstitit, virum clarissimum de quo sic noster à Marckius: “Academiae columen eximium; vir incomparabilis, magnum seculi ornamentum: theologus consummatissimus et scriptis et docendi genere passim clarissimus” 1). Hisce aliisque viris igitur arcte se Franequerae conjunctum sentiens, diu dubitavit noster sequeretur necne vocationem academiae Leidensis Memorare hic lubet Heidani, postea Cocceji, collegae, verba: “Qui,” ait in oratione, Coccejo mortuo, effata, “qui fuerit nobilissimorum Curatorum in hoc viro retinendo conatus et collegarum in adjuvando hoc conatu labor et studium, ego testari possum, qui universos prensare, singulos alloqui, rationibus et argumentis rem evincere, et miseris etiam precibus, quae saepe Enthymematis fortiores sunt, rem conficere opus habui. Proinde enim res agebatur ac si de Palladio Frisiae tollendo Hollandia conspirasset.”

Tandem autem cedens Leidensibus, mense Octobr. ann. 1650 novam professionem adiit. Orationem inauguralem habuit

1) In theologia, quae dicitur “foederalis” a Coccejo in libro supra memorato exposita, Cloppenburgius quoque versatus est. Audiamus haec de re Vriemoet “*Athenae Frisiacae*,” p. 378: “Primos inter cum Coccejo habetur Cloppenburgius, per quos nata inter ecclesiae nostrae doctores de “foedere operum” controversia. Sed dudum ante Clopp. locutos fuisse quam plurimos de hoc “foedere,” data opera, ostendit Cl. Honertus edito libro Belgico, quem “*Adamum et Christum*” inscripsit.”

“*de causis incredulitatis Judaeorum*” 1). Collegas ibi nactus est Jac. Triglandium et M. Heidanum. Quo pacto cum iis vixerit docet filius in praefatione laudata, operibus Cocceji praefixa: “Hi,” inquit, “ipsum amabant propensissime, hos ipse venerabatur studiosissime, neque quidquam magis sibi quam alii in amicitia tuenda favebat. Hic videre erat fratres sedentes una; veritatem diligentes et pacem colentes inter se invicem. Neque enim hi erant tales, qui non visa fingerent, vel consequentias minime congruentes necterent, vel alium prae se dispicerent, vel in quibusdam dissentientes ferre nequirent, vel aliis imperare vellent. Hic conspiciantur juncti idem onus subeuntes collegae et mutua studia promoventes.”

Tractavit cum hisce collegis, publicis disputationibus, exemplo clarissimorum virorum Polyandri, Riveti aliorumque, locos communes theologicos. Quumque ipsi demandata maxime esset explicatio V. Test., vaticiniis Jesaïae auditoribus suis exponendis per quadriennium fere occupatus fuit. Eodem tempore commentarium edidit in prologum Evangelii Joannis, quo maxime Socianismi et Arianismi refutaret errores. Quos errores ubique, data opportunitate, adortus est. Quo magis mirandum videtur, eum postea ab adversariis saepius Socinianum dictum esse, quae incriminatio profecto ex eorum partium studio explicanda est. Anno 1654, mortuo Triglandio, collegarum commendatione locum ejus obtinuit Jo. Hoornbeekius.

Interea publice Coccejus contra fratres Walenburgios de s. Scripturae auctoritate disputabat. Quum passim per Hollandiam et ceteras provincias disseminarentur scripta Socinia-

1) Invenitur Oper. Tom. VII.

norum, facultas theologica Leidensis Magistratibus Hollandiae significavit, maximas subesse causas, cur quantum possent vigilarent curarentque, ne doctrina Socini propagaretur, proposita Ordinibus Socini opinionum impietate.

Quibus permoti, Magistratus Hollandiae et West-Frisiae edictum dederunt anno 1654, quo interdicebatur omnibus et singulis “ne ullum errorem Socinianorum in hanc regionem inferrent aut aliis communem facerent, aut eo fine coetus constituerent concionesve. Vetabantur typographi et bibliopolae “ullos libros Socinianos, ceu blasphemos et perniciosos, in quacunque lingua imprimere, vel alibi excisos in Belgium invehere et devendere.” Contra hoc edictum apologiam scripsit, tamquam pro veritate accusata, eques quidam Polonus, qui creditur fuisse Jonas Schlichtingius a Bukovice. Adversus illam apologiam scribendi provinciam Coccejo imposuerunt collegae. Quo munere sibi oblato tam strenue functus est, ut Synodus eo anno Dordraci convocata, epistola missa, pro veritate defensa et haeresi confutata ipsi gratias agendas putaverit ¹⁾.

Eodem anno Coccejus pugnam iniit cum Masenio, praefecto scholarum Dusseldorpiensium, qui in libello cui titulum fecerat “*Schrift-Prob*” demonstrare conatus est, ea Scripturae dicta, in quibus a Pontificiis dissentimur, pro hisce pugnare. Quos irritos fecit conatus noster in scripto “*Responsio ad probationem scripturariam Joann. Masenii.*” Hic autem devictum se fateri nolens, Augustini auctoritatem Coccejo opposuit, qui dein “*Admonitiones de principio fidei ecclesiae reformatae*” edidit ²⁾.

1) Quae epistola praefationi laudatae inserta est.

2) Utrumque scriptum Oper. Tom. VI invenitur.

Usque ad illud tempus, Coccejo ibi degente, quieta fuerat academia Leidensis, et si quid disputatum erat, eo veritas contra hostes ecclesiae defensa, et fides contra haereticos propugnata fuerat. Tunc autem contra fratres pugnari atque in propria viscera saeviri coeptum est, quibus rebus ultimum Cocceji vitae spatium valde turbatum ac agitatum est.

Priusquam autem ad res istas describendas progrediamur, fas nobis videtur paululum subsistere, ut accuratius in hujus aetatis indolem inquiramus, ideoque melius ipsum Coccejum nobis ante oculos proponere possimus, viventem ac laborantem inter aequales suos.

§ 3.

De loco, quem inter theologos Nederlandicos sui temporis Coccejus obtinuit.

Tristissimum Synodus nationalis Dordracena effecerat schisma ecclesiae reformatae Nederlandicae. Magna hujus membrorum pars expulsa fuerat. Quod majori ecclesiae damno habendum, quum expulsi secum duxissent momentum, ad bene vitam ecclesiae conservandam prorsus necessarium, interiorum, liberam et accuratam s. Scripturae perscrutationem, hereditatem profecto, quam ab Erasmo, Zwinglio, Melanphone, Calvino, aliisque acceperat. Expulsis enim Arminio ejusque asseclis, ecclesia victoria sua ac imperio nitens, hoc unum agere videbatur, ut suam tantum confessionem exponeret, novisque fundamentis fulciret ac confirmaret; idque singulis locis s. Scripturae scholastico more adhibendis. Quo factum est, ut Scripturae vere liberalis

perscrutatio in dies magis neglecta jaceret, studiumque veritatem semper de integro ex illa hauriendi, extinctum videri posset. Nova itaque creata orthodoxia, theologia reformata polemicam maxime faciem induit, et periclitata est, ne magis ad scripta symbolica quam ad S. Codicem, magis ad scholasticas quaestiones, quam ad Evangelii veritatem, magis ad orthodoxiam quae dicitur, quam ad fidem in caritate laborantem, patronos duceret suos.

Omnes enim ecclesiae ministri, omnesque professores et religionis doctores, confessioni Belgicae ac Catechismo Heidelbergensi subscribere coacti erant, atque ex intimo animo per Deum testari eos oportebat, omnia in hisce scripta, nec non explicationes articulorum nonnullarum a Synodo datas, cum verbo Dei ad amussim convenire. Praeterea gnaviter doctrinam sic expositam docere, ac cum fide pro ea vigilare neque directe, nec indirecte quidquam contra eam dicere aut scribere jussi erant. Custodes quoque hujus doctrinae Synodus Nationalis posuerat omnia presbyteria, omnesque Synodos provinciales, monueratque, ut statim omni novarum rerum studio se opponerent, omnemque novae doctrinae speciem exstinguerent.

Hujus novae orthodoxiae, theologiaeque mere scholasticae summus patronus et acerrimus propugnator, circa hoc tempus erat clarissimus theologiae professor Ultrajectinus Gisb. Voetius. In quo viro, profecto, tamquam in splendidissimo speculo, imaginem conspiciamus vitae, quam illius seculi viri Christiani, theologi et eruditi vivebant. Omnia illius aetatis excellentia, omniaque deteriora in eo adspiciuntur, sicut eadem aetate, ecclesiae evangelicae in Germania imaginem nobis repraesentat insignis ille dogmaticus ac mysticus Joann. Gerhardt.

Sicuti omnes fere aequales, ita Voetius secundum philosophiae Aristotelicae methodum theologiam tractavit, sicut videre est in opere ejus, quinque volum. edito, "*Selectae disputationes.*"¹⁾

Facile ergo intelligitur, quam invidis oculis Voetius philosophiam idealisticam philosophi Franco-Gallici Renati Cartesii — 1599-1650 — oriri et in dies auctoritate crescere videret. Omnem idcirco eruditionis suae apparatus contra eum contraxit; magna discipulorum caterva stipatus, strenue et acriter id egit, ut caveret, ne ille philosophiae Aristotelicae auctoritatem adimeret, atque sic totam quoque theologiam suam labefactaret. Sed hoc ipso Voetii conatu accidit, ut theologia haecce semper magis polemicam acciperet faciem. Non jam enim heros orthodoxiae ad Zwingli et Calvinii exemplum, s. Scriptura utebatur, ut semper puriorem suam et ecclesiae doctrinam ex ea redderet, sed id solum spectavit, ut eam semel acceptam quam maxime stabiliret atque ab omni mutatione vindicaret. Quod sane non potuit non falsae interpretandae Scripturae methodo ansam dare, qua singuli nimirum loci arbitrario explicarentur, regulis hermeneuticis prorsus neglectis.

1) De quo sic Ypey in libro: "*Beknopte Letterk. Geschied. der Syst. Godgel.*" dl. II, p. 70: "Dit werk is een volledig zamenstel van geloofs-waarheden en van zedekunde, en is zoo scholastiek ingerigt, zoo wijsgeerig opgesteld, als men er naauwlijks een in de Herv. Kerk aantreffen zal. Er heerscht niet slechts een drooge schoolmatige voordragt in, maar het is vol van scherpzinnige navorschingen, losgrondige bewijzen, ingewikkelde vraagstukken en beuzelachtige kleinigheden, die niets om het lijf hebben, zocals men ze in de systemen der oude scholastieken ontmoet. Met dat alles evenwel doet er zich veel in op, dat der lezing overwaardig is, en nitstekende blijken draagt van smans diepe geleerdheid en buitengemeene kunde. Men kan dus uit dit werk van Voetius zien, hoeveel opgang te zijner tijd de scholast. godgel. onder de hervormden gemaakt had." Addimus, quoque intelligi posse ex hoc de Voetio judicio viri cl. Ypey, novo examini summos nostros superiorum seculorum theologos submitti, haud supervacuum esse.

Quemadmodum Voetius, sic alii permulti.

Altera causa studii exegetici tristissime neglecti haec fuit. Post ejectos ex ecclesia Arminium ejusque sectatores, ministri verbi Dei perrexerunt, pro concione vehementer in eorum sententias invehi. Ratio polemica mox adeo praevaluit, ut orationibus quae dicebantur sacris nil fere inesset, quo ad veram pietatem coctus Christianus duceretur.

Quo periculo imminente, nonnulli viri, — inter eos praesertim vir pietate insignis Teellinck, verbi divini minister Medioburgensis — ut populi excitarent sensum religiosum ac moralem, nonnulla scripta Anglica, pietismum spirantia, Belgice vertenda curarunt, itemque Anglicam pro coctu concionandi introduxerunt methodum. Qua methodo praevalente, sensim praedicatores textum sacrum parvi facere coeperunt. Praeterea huc accessit ut, egregia versione S. Codicis Belgica hac aetate absoluta, haud pauci putarint, sibi non diutius operam dandam esse, ut textum originale intelligerent. Ex quibus rebus abunde liquet Coccejum eo vixisse tempore, quo disciplinae theologicae, imprimis studia s. Scripturae, partim neglecta, partim degenerata, ut ita dicam, jacerent novaeque aetatis lumine maxime indigerent.

Hujus novae aetatis, ab haud paucis egregiis viris dicitur instaurator, ac jure dici potest noster. Lubet hic memorare verba Jo. Franc. Buddei¹⁾: “Coccejus,” ait, “praestantissimis reformatae ecclesiae doctoribus adnumerandus. Quum enim nihil eorum, quibus Scripturae interpretem instructum esse decet, illi deesset: quum imprimis linguae Hebraeae haud vulgarem notitiam sibi comparasset: hisce ita

1) Vid. “*Isag. Hist. Theol. Tom. II. p. 1375 seq.*”

usus est praesidiis, ut minutiis procul facessere jussis, ea ubique quaereret et investigaret, quibus rerum divinarum et salutis mortalium inservientium intelligentia augeri posset. Unde et per illum theologia exegetica apud reformatos, certe in Belgio, novam veluti accepit faciem, novamque quamdam ejus arcessere inde licet periodum”¹⁾.

Parum profecto Coccejo, inde a pueritia sacrae Scripturae assuefacto, talem qualem descripsimus theologiae tractandae placuisse methodum, nemo non intelligit. Jam Franquerac aliam prorsus secutus erat²⁾. Judicabat enim, in rebus fidei Scripturae soli inhaerendum, cujus scrutatio perpetua, unica, ipsius erat voluptas, in cujus indagazione proficere solae ipsius erant deliciae; quare putabat “se non posse melius de ecclesia Dei mereri, quam si lectionem sacrarum litterarum, pro dono sibi concesso, faceret omnibus hominibus et expeditam et amabilem.”

1) Pulcherrime ac verissime nuper nobis de Coccejo ejusque meritis videtur egisse Max Goebel in libro inscripto “*Gesch. des christl. Lebens* etc. II Band, 1ste Abth. p. 148, ubi sic loquitur: “Eine nach Gottes Wort reformirte Kirche, welche mit allen ihren Einrichtungen und in ihrem ganzen Leben rein und allein auf das Wort Gottes sich gründen will, und dabei voll wissenschaftlichen und christlichen Eifers ist, kann aber auf die Dauer mit einer solchen bloss scholastischen, dogmatischen und apologetischen Behandlung der heiligen Schrift sich nicht begnügen; daher musste die niederländische Kirche aus innerm Selbsterhaltungs- und Fortbildungstrieb immer wieder aufs neue zur Quelle, zur heiligen Schrift selbst zurückkehren, um in ihrem Bade von allen Menschen- und Kirchensatzungen sich stets zu reinigen und zu läutern. Diesen wichtigen und wesentlichen Dienst leistete der niederländischen Kirche der grösste Bibelklärer seiner Zeit Johannes Koch, ein Mann, welcher in seiner tief eingreifenden reformatorischen Art und Thätigkeit mit seinem Zeitgenossen Georg. Calixt. in der lutherischen Kirche, oder noch besser mit Dr. Friedr. Schleiermacher verglichen kann.”

2) Qua de re sic Balth. Bekker. “*Kerk. Hist.*” p. 25 seqq.: “Coccejus week in stijl van leeren van den gemeenen trant der scholasticken, tot nog toe meest gebruikelijk, niet weinig af.”

Audiamus ipsum hac de re. In epist. 107: "Profecto, ait, alterutrum, aut verbo Dei gnaviter opera est danda, aut id nobis erit cadaver jacens in foro civitatis magnae in ostentum, non ad utilitatem." Et in Epist. 71: "Nostri homines mihi videntur Scripturam habere eo loco, quo Pontificii. Sunt orthodoxi à la mode, qui non inquirunt in Scripturae sensus et non patiuntur alios eam explicare." Denique in epist. 97: "Me quod attinet, quamdiu vivam, Deo dante, non desistam clamare et obrectare omnes ut redeant ad eam viam, quam ét Apostoli ét primi reformatores commendarunt, nempe lectionem et meditationem sacrae Scripturae, quam viam a multis relinqui cognovi."

Itaque quae docuit Coccejus docuit vel vocabulis Scripturae vel usu populari acceptis¹⁾. Videns enim, ad Scripturam non ita attendi, et ejus sapientiam non tanti aestimari, quanti oporteret, imprimis ut se a culpa neglectae Scripturae liberum servaret, sollicite abstinnit a vocabulis scholarum, quae ut vidimus, quorundam doctorum studium, postquam a reformatorebus in exilium missa fuerant, cum omni eorum comitatu in ecclesiam reduxerat²⁾. Inutile prorsus censebat esse certamen de vocibus, nec verbis, si certo sensu carerent aedificari auditorem; imo vero, quum verba vel natura sua ambigua sint, vel usu hominum jam acceperint

1) Vid. Bekker in opere laud. p. 26.

2) Qua de re audiamus Drusium ad 2 Petr. 2:22: "Sunt, qui post reformationem factam, quae quasi lotio quaedam sit, in luto sophistico se rursus volutant et redeunt ad vomitum cum cane; qui iterum in academiam revocant introducuntque theol. scholast. Hi simplicitatem credendi convertunt in curiositatem et subtilitatem disputandi; quaestiones novas quotidie exagitant, quarum pleraeque inutiles sunt, prophetis et apostolis olim ignoratas, quae tamen augent numerum disputantium, qui orbem Christianum hodie replent."

significatum aliquem non satis commodum, iis offendi vel etiam decipi auditorem.

Itaque cum iis fecit qui, sicut dicit in praefatione ad "*Ultimu Mosis*" primum cum vitae periculo et inter quotidianos ignes ausi sunt theologiam a fermento sophistico purgare, tum verbis Dei proprios sensus reddentes, tum veritatem ad elocutionem a Spir. Dei sanctificatam revocantes. "Quod," sic pergit "quum nobis ab ineunte aetate instillatum sit, neque haecenus efficaciorum doctorem ipso Deo in Scripturis loquente reperire potuerimus, etiam auditores nostros ad noscendas et usurpandas phrases Scripturae quanto possumus studio revocamus."

"Patet autem," sic alibi loquitur, "quod is, qui debet loqui sermonem Dei, cum non debeat mutilare quoad vocabula, et pro vocabulis doctis a Spir. Dei substituere vocabula docta ab humana sapientia." Porro in epist. 107: "Institutum, inquit, meum unice est, ut et diligenter audiamus quid dicet Deus, et id intelligere studeamus ac eloquamur verbis, quae ipse docuit. Quae si via pacis non est, nescio quaenam via pacis inveniri possit."

Scholasticam igitur repudiasse Coccejum philosophiam procul dubio est. Sunt qui ferant, eum Cartesianae addictum fuisse philosophiae. Quod perperam tradunt, quum ipse noster ultimo vitae anno dicat, se nondum philosophiam eam cognitam habere. In epist. 180 enim, anno 1669 scripta: "Nondum," inquit, "mihi licuit eam philosophiam perdiscere. De dubitatione statuo, infeliciter illo vocabulo usum esse Cartesium. Accipiunt enim hoc vocabulum illi, qui veritatem non amant et putant, se philosophice agere, quando semper excipiunt et obloquuntur. Dubitant

ut dubitent.” Sed historia nos docet, plerosque eorum, qui Cocceji doctrinae addicti fuerint, Cartesianae quoque philosophiae adhaesisse. Cujus rei causam indagare non est hujus loci. Clarissimus Ypey hac de re agens, causam illam non indicat ¹⁾. Quod nec alii adhuc, ni fallor, satis accurate fecerunt. Errant, qui dicant, intimum connexum Cartesii philosophiam inter et Cocceji hermeneuticam exstare ²⁾. Nos quidem adhuc hanc rem explicare aliter non possumus, nisi statuendo, utriusque viri sectatores socum invicem doctrinam suam communicasse, quo melius ita conjuncti theologiam subverterent scholasticam, atque studium in veritate progrediendi alerent et promoverent.

Haud ineptum videtur, hic accuratius paulo referre, quidnam statuerit noster de philosophia interpretationem Scripturae moderante, quemnam rationi locum indicaverit. “Ratio subservit theologiae, non imperat; theologia rationem non destruit, sed perficit et saepe superat. Ideoque quaedam credenda sunt, quae capere non possumus.” Sic breviter dicit in “*Aphorism. per univers. theol. brevior*” ³⁾. In praefatione, epistolae ad Philipp. praemissa, sic fusius hac de re agit: “Qui ad verbum Dei scrutandum accedit, non debet ad id accedere ut sapiens sed ut rudis. Nam quid opus habent docti ut discant, quid sapientes ut sapientes fiant? — Nisi quis fiat stultus, non perveniet ad Dei sapientiam. Quid igitur? An non multum prodest esse philosophum Platonicum,

1) Dicit in o. l. Dl. II. p. 84, plerosque Coccejanos philosophiae Cartesianae addictos fuisse “*enkel bij toeval.*” Quod pro vero accipere pugnatur cum sana ratione.

2) Qua de re vid. Henke, *Allgem. Gesch. der christl. Kirche*, Th. IV, p. 467.

3) Disp. I. § 20.

Aristotelicum, eclecticum, aut si quae alia species est philosophiae? Philosophiam, h. e. cognitionem rerum, quae in mundo sunt et earum utilitatis, nos minime contemnimus, sed in Christianis valde laudamus, in gentibus etiam admiramur. Sed hoc dicimus: licet ea dona in homine fidei sint maximi pretii, si quis tamen philosophus, suffarcinatus opinione suae sapientiae, ad s. Scripturam accedat et hypothesein aliquam ad eam afferat, quam velit ex Scripturis confirmare, cum nihil aliud nisi corruptorem verbi Dei fore. Imprimis si ita apud se statuerit, de Deo nihil credendum esse, quod non sit simile ei, quod per philosophiam invenerit. Necessè est, ut qui ad Scripturae disciplinam accedit, non habeat praejudicatam opinionem, sed ut puer se a Scriptura doceri expetat." Eodem fere modo loquitur in praef. in ep. ad Ephesios, sic dicens: "Sunt qui dicant, rationem aut philosophiam esse normam interpretandi Scripturam, et interpretationis iudicem. Ita non loquitur Scriptura, neque est verum. Non enim possumus philosophum, in Scripturis non exercitatum, accipere tamquam interpretationis iudicem, quippe qui potest esse *homo animalis*. Si vero quis dicat, non hanc suam mentem esse, ut philosophum iudicem accipiamus, — sed ei, qui Scripturam interpretari velit, philosophiae studium necessarium esse, quia sine ea non possit iudicare de vero sensu; si, inquam, id aliquis dicat, non quidem infitabor utilem esse variarum rerum cognitionem. Si vero quis putet, philosophiam ita esse iudicem constituendum, ut nihil admittamus tamquam a Deo revelatum, cuius simile non observaverimus per philosophiam; atque ita vel necesse sit, nos prius fieri philosophos et totam naturam perscrutari, vel alios philosophos interrogare quid in rerum natura observaverint, au-

tequam statuamus quid Deus videatur testari per verba sua; id revera esset, nostram fidem ita subicere philosophiae, ut nos patiamur per eam captivos agi, quod et cum Jesu et cum Apostolorum verbis lucide pugnat.”

Licet igitur philosophorum placitis absolutum et nullis finibus circumscriptum imperium in sacris haud tribuat Coccejus, tamen rationis usum nequaquam tollit. Vix enim verbis exprimere se posse, ipse declarat, quantum turbarum pepererit id, quod rationi vel nimis multum vel nimis parum a diversis juris concessum sit. Quare ipse quasdam dat observationes de pretio jureque, rationi statuendo a sacrarum litterarum interprete. “Igitur teneatur,” dicit 1), “philosophiae et rationis nomine, non indigitari a nobis quidquid hic vel ille philosophus dixerit, sed hoc, quod inter omnes ratione utentes constat sine ulla dubitatione, aut saltem a quovis facile, adhibito judicio, agnosci potest. Non tamen, vel philosophis auctoritatem, vel quibusdam dogmatibus philosophicis veritatem vel usum adimimus; sed maxime quaerimus certitudinem et firmitatem. Teneatur porro, rationem humanam eorum, quae in s. Scriptura dicuntur quaedam non assequi vel comprehendere posse. Alia sunt, quae non assequi potest ob eorum remotionem nimiam a sensibus nostris, ac modo cognoscendi. Alia autem non assequitur ratio, quae in se quidem ei sunt cognoscibilia, sed quae primum, ut cognoscantur, revelatione indigent.”

Quae quum ita esse censeat, statuit rationem non decere, esse superbam et temerariam, sed valde circumspectam in definiendo, quid impossibile sit, necne. “Nihil, ait, ob

1) Orat. de phil. sacra, § 156 seqq.

impossibilitatem rejiciamus, nisi illa ad oculum clarissime possit demonstrari, qualis illa v. c. est, unum corpus esse simul finitum et ubique; retinere suas proprietates et recipere alterius substantiae contrarias proprietates; quod ita impossibile est, ut, si qui ea defendunt, necesse habeant eo confugere, ut dicant, captivandam esse rationem, philosophiam cum theologia pugnare, nihil Deo impossibile esse eumque etiam contradictoria efficere," etc.

Quemadmodum indagationem S. Codicis a philosophia qualicunque, sic quoque ab omni auctoritate humana ¹⁾, nec non ab ecclesiae imperio Coccejus liberam vindicare studuit. Quod infra lucidius nobis apparebit. Is tantum homo qui luce Spir. S. perfunditur, Scripturam interpretari et intelligere potest ²⁾. "Spiritus Sanctus, ait," est summus iudex et interpres, habens erectum tribunal in conscientiis" ³⁾.

Acutissime haec omnia cohaerebant cum dogmate theopneustiae quod Coccejum amplexum esse, lector jam ex multis effatis ipsius conficere potuit. Imo vero, una cum plerisque sui aevi interpretibus dogmati theopneustiae litteralis inhaerebat noster. In "*Aphorism. c. Pontific.*" disp. II, § 8 diserte affirmat "scriptores sacri in minutis circumstantiis non sunt lapsi." Ibidem § 10 "Omnia scripta V. et N. Test. divinitus sunt inspirata." Igitur, quum omnem auctorem censeret, optimum suum esse interpretem, solum Spir. S. sacrae Scripturae statuit esse interpretem, omnemque humanam auctoritatem repudiavit. — Quod consentaneum erat.

1) In libro cui titulus "*summa theol.*" c. VI, § 84: "Nulla, ait, est *lâta* expositio Scripturae; nullus est necessarius doctor, cujus datum sit nomen, propter quod credendum sit quod is dicat."

2) Sic loquitur in "*sum. theol.*" c. VI, § 26.

3) *Animadv. ad Bellarminum*," disp. III, § 16.

Constat igitur, Coccejum theologum biblicum fuisse, ex sola Scriptura sapere cupientem. Unam tantum, eandemque biblicam agnovit theologiam. Verbo autem hic monendum videtur, ita etiam magnum Coccejo periculum exstitisse, ne suas Scripturae admisceret opiniones, posteaque eas mere biblicas putaret, atque pro iis tamquam pro aris ac focis pugnaret. Quod revera accidisse deinde videbimus.

Paulo fusius nunc nobis agendum de Cocceji scripto, jam saepius laudato, cui titulus "*de foedere ac testamento Dei.*" Continet id, ut jam diximus, summam ejus doctrinae. Nobis autem non est propositum, hoc loco eam multis verbis exponere. Observandum tantum est, specimen theologiae mere biblicae id continere, atque ita systematis dogmaticis ejus aetatis plane oppositum esse ¹⁾. — Processum nempe historicum patefactionis divinae, in hoc scripto luculenter ante oculos proponere, intentis viribus nititur. In quo argumento versatus, invenisse sibi videtur, quam arctissime V. et N. Testamentum cohaerere, atque omnia, quae in utroque eorum traduntur, niti in "foedere aliquo Deum inter et homines." Quae sententia, revera, fundamentum haberi debet, cui theologia Cocceji, quae dicitur "foederalis" superstructa est. Duplex cum Adamo, secundum Coccejum, Deus iniit foedus. Alterum ante lapsum, quod "*foedus operum*" vocat; alterum post lapsum "*foedus gratiae.*" Quod posterius foedus

1) Qua de re sic B. Bekker in o. l. p. 26: "Coccejus ziende, dat men sedert de opkomst der reformatie zich meest gehouden had aan zulk een wijze als de tijden toen meêbragten, — dat men den inhoud der H. S. tot zekere hoofdstukken bragt, die betwist werden, en de bewijzen hier en daar uit de Schrift bij één zocht, — zoo dacht hem, dat het tijd was om verder te gaan, en den draad der H. S. van voren aan na te speuren, waaruit noodzakelijk een andere zin op verscheidene plaatsen moest gevonden worden."

iteravit confirmavitque Deus cum Abrahamo et patriarchis; dein ad montem Sinaiticum, cum populo Israelitico 1), denique cum toto genere humano, per Jesum Christum.

Tres igitur “oeconomias” habet foedus illud: oeconomiam scilicet patriarchalem, oeconomiam legis, et evangelii. Coccejus quum haec ita se habere constituerit, nunc id agit, ut intimum ostendat nexum, quo singulae illae Scripturae partes inter se junctae sint. Quocirco ubique in V. Testamento jam Christum sibi invenire videtur, omniaque ad cultum Mosaicum pertinentia typos esse ducit religionis Christianae, quod ad res minutissimas usque extendit. Imo vero, historiam religionis Christianae aequae ac Christi ipsius, in V. Test. jam praedictam invenit. Quibus de rebus infra nobis fusius agendum est.

Progrediendum nunc est ad lites istas memorandas, quibus ultima Cocceji vitae pars maxime turbata atque exagitata est, quaeque satis nobis ostendunt illum a permultis parum intellectum fuisse.

§ 4.

*De litibus, quibus Coccejus in ultimo vitae spatio
implicatus est. Coccejus defensus ab invec-
tionibus adversariorum.*

Anno igitur 1658 adversus Cocceji sententiam de sab-

1) Huic refertur Decalogus, qui propterea non lex, sed donum gratiae, itaque pro “formula gratiae” habendus est. Sed propter idololatriam, magno postea caeremoniarum numero, quasi operculo vel nebula, populus impeditus est, quin Dei promissiones videret iisque frueretur. Quam nebulam postea Messias sustulit.

bato et die Dominica, de qua in "*Antapologia Remonstrantium*" reformatae ecclesiae Nederlandicae patroni similia professi erant, sed de qua jam anno 1655 Hoornbeekius contrarium, edito scripto Belgico, se sentire ostenderat; primum excitari coeperunt motus. Ansam praebuit disputatio theologica, qua Heidanus, nata ex ordine occasione, suam, quae eadem Cocceji, libere quidem sed modeste hac de re sententiam, nisi ineptus dissimulator esse vellet, proferre debuit. In commentario in epist. ad Hebraeos quemadmodum in libro "*de foedere etc.*" sic locutus erat Coccejus: "Si quis dicat, Deum sex partes temporis nobis reliquisse, et septimam tantum sibi vindicasse, primo id ego nusquam legi, neque hoc ex praecepto quarto extundi potest. Ejus enim finis non est, ut inter Deum et nos distribuamus tempora, sed confessio impuritalis operum priorum et spei sanctificationis a Deo praestandae. — Quid igitur dicemus? An praeceptum sanctificandi sabbatum non pertinet ad ecclesiam Christianam? Certe, nempe morale praecepti. Atqui morale praecepti non est distinguere dies, quemadmodum nec cibus distinguere est morale (Rom. 14:5, Gal. 4:10, Coloss. 2:16); sed damnare propriam justitiam, et quietem Dei praestitam fide cordis cum gratiarum actione amplecti, cessare ab opere servitutis pristinae et in libertate annum gratiae sanctificare. Quod ad *omnes* dies pertinet" ¹⁾.

Huic simul et Heidani sententiae opposuit mox Andr.

1) Qua de re sic Max. Goebel in o. l. p. 156: "Mit dieser Sabbatslehre schnitt also Coccejus tief in das Leben und Fleisch der reformirten Kirche, welche im Verlauf der Zeit die Sabbatsheiligung zum Gegenstande ihres Fanatismus, d. h. des suchens des Wesens in der Form, des innerlichen im aeußerlichen, gemacht hatte."

Essenius, theologus Ultrajectinus, dissertationem “*de perpetua moralitate decalogi, adeoque sacri etiam sabbati.*” Prodierunt tunc quoque ipsius Hoornbeekii “*Theses*” et dein scriptum Belgicum “*Heiligingh van Gods naam en dagh*” aliaque permulta. Et quemadmodum Heidanus, sic noster, editis libris, pacem ubique non bellum spirantibus, strenue se defendit; donec Magistratum edicto, mense Aug. anno 1659, vetaretur in academia quidem Leidensi reciprocatio litium, et Synodus Goudana per Heidani et Cocceji declarationem publicam, componere quoque eas in ecclesia niteretur.

Sicuti autem lis litem generat, ita et hic. Quum enim in indagatione de sabbato Coccejus explicasset, quae sit quies Novo Testamento propria, et opposita jugo praecedentis temporis; alii exinde conclusionem petierunt, eum negare, veteres fide justificatos et vitam aeternam consecutos esse. Quam autem conclusionem rite petitam esse, jure negavit Coccejus. De ἀφέσει et παρέσει ἁμαρτιῶν postea disputavit praeter alios maxime cum Gisb. Voetio, cui scriptum “*Moreh-Nebochim*” 1) opposuit. Plura de his cognoscere cupienti, inspicienda erit laudata praefatio a filio conscripta. In utramque partem jam antea disputarant viri docti. Simili modo quo noster, jam antea locutiones illas Paulinas clar. Cloppenburgius explicuerat, ad cujus, tamquam sibi praeeuntis, consensum provocat in libro “*de foedere*” etc. Tertia exinde lis est orta de decalogo, num pro “*formula foederis*

1) Op. Cocceji Tom. VII. In quo scripto ostendit, veteres fide παρέσεως quidem, non vero ἀφέσεως ἁμαρτιῶν participes fuisse. Haec enim per Christum demum adducta est.

gratiae” habenda. Qua de re coactus est noster, aliqua inserere tertiae editioni libri “*de foedere*” etc.

Novae brevi post controversiae occasionem dedit disputatio Guil. Mommae, praeside Coccejo publice defensa, de “*Oeconomia temporum.*” E qua excerptas quaestiones Sam. Maresius, theol. Groninganus, sua notatas crisi, publicae disquisitioni subiecit. Quibus postquam reposuit noster “*Ani-madversiones*” suas, anno 1663 ipsi Maresio dedicatas, hic, edita in publicum epistola, “in summa rei convenire sibi cum Coccejo” fassus quidem est; ceterum vero non leviter omnes ejus labores perstringere, nimiumque novarum rerum studium non obscure exprobrare ipsi instituit. Neque respondit publice Coccejus ad illam epistolam; maluit enim eam contemnere quam ulteriore cum ipso Maresio jurgia nectere 1).

Denique magnopere ira Maresii in Coccejum exarsit anno 1669, occasione judicii facultatis theologiae Leidensis de lite quadam, Maresium inter exstante, et ejus collegam Altingium. Quod judicium, rogatu ampliss. Curat. academiae Groninganae latum, interprete Coccejo tunc facultatis decano, et probatum curatoribus, quamvis fere pacificum, quum parum placeret Maresio, — hic omnem mox bilem in solum Coccejum evomuit, edito scripto satis maledico. Cui vero Coccejus, hortatu Heidani aliorumque amicorum, non respondit. Nos autem Maresii invectiones audiamus, ut Coccejum ab iis defendamus meliusque etiam hunc cognoscamus.

1) De hac lite plura cognoscere cupienti inspiciendae sunt Cocceji epistolae 93, 97 et 102. — Maresius acerrimus philos. ac theol. schol. fuit propugnator. Ceterum vir, magna eruditione atque ingenii sagacitate, nec non disputandi studio insignis.

Coccejus igitur, quum omnem sapientiam et veritatem ex sola sacra Scriptura hauriendam censeret, aliorum iras non potuit effugere, qui nomen humanum et auctoritatem magistrorum et veterum "traditivam" magni faciebant. Ab iis et maxime quidem a Maresio dictus est "*scripturarius*," accusatusque, quod "*sectario nomine scripturarium se nominari voluerit*." Omnes praeterea Cocceji doctrinae addictos, illi scripturarios et Coccejanos dictitabant, quasi sectam facere Coccejus in animo habuisset. Constat autem necesse omnibus, qui vel minimam ejus scriptorum partem legerint, alienissimum eum fuisse a partium studio, et ab omni humano nomine in ecclesia prorsus abhorruisse. Quod testantur ipsius verba in epist. 27: "Certe, quod me attinet, etiamsi in multis cogerer loqui aliter ac priores, mallet tamen cum prioribus facere in praecipuis, et ad illorum inventa adjicere mea, quam *ξενωδόξος* novae methodi in theologia et sic sectae caput haberi." Praeterea mihi liquet, Coccejum continuo solitum fuisse, auditoribus inculcare, ne sibi dicenti crederent, sed sua ad Scripturam examinarent, quum "fidei sit inquirere in ea, quae ab hominibus audivimus, an ea se ita habeant." Atque dicit porro: "fides non nitatur verbo humano, sed divina auctoritate et sapientia." Quare putavit "non utile esse ecclesiae, ullum scriptum habere auctoritatem et nimis magnum pretium" 1).

Quomodo porro sectae caput haberi potuit, qui docuit, eos qui in alterius nomine loquuntur, non diligere Deum? — Ita enim scribit in epist. 107: "Nam," ait, "non possum animum inducere, ut si eligamus dicere quod hic vel ille vir

1) Vid. praef. ad "*summam theologiae*."

doctus dicit, habendi simus pro iis, qui Deo obediunt aut illi credunt." Et in comm. ad 1 Joh. 5:3: "Si non cupiamus," inquit, "et studeamus ea facere, quae Deus praecipit, si non omnia in Eius nomine faciamus, sed temere quid dicamus vel agamus in nomine alterius, non diligimus Deum."

Sed ipsum illud studium ex sola Scriptura se velle sapere, ei maxime opprobrio habebatur. In praef. ad Philipp. hac de re ita conqueritur: "Sola mea novitas in hoc versatur, quod non videor didicisse quidquam aliunde, nisi ex Scriptura; et ita de me perhibentur loqui: "nihil novit nisi ex Scriptura." Quod, profecto, aegre admodum ferebant ii, qui scholasticas quaestiones solas in deliciis habebant, et quorum magna eruditionis pars illarum cognitione absolvebatur. Perperam autem adversarii dicebant, Coccejum omnia a veteribus tradita rejicere, quia ab iis tradita essent. Veteres ecclesiae doctores eorumque opera plurimi faciebat; minime autem adeo in eorum verba jurabat, ut nihil existimaret sibi licere dicere, quod illi non dixissent, vel docere quod illi non docuissent, vel ut ideo veritatem crederet amplectendam, quia illi eam tradidissent. Et jure sane, quum non ideo quod dicitur cognoscatur esse veritas, quia id dixerunt veteres, sed ii comperiantur vere dixisse, quia dicta eorum veritati sunt consentanea; quemadmodum et accipere aliquam doctrinam, qualiscunque ea sit, propter nomen et auctoritatem humanam non est hominis veritatem recte quaerentis. Neque omnia a veteribus tradita Coccejum rejecisse ipse dicit in epist. 130, ubi sic legimus: "Mea scripta testabuntur, me nemini nostrorum obrectavisse, et huic unice operam dedisse, ut cum Scriptura et loquerer et sentirem, nec a

catechesi et confessionibus discederem. Nam ecclesiarum nostrarum sententias ex animo approbavi." Multum ita abest, ut noluerit constringi formulis consensus ecclesiae Belgicae. Quod perperam ab adversariis ei imputatum est. Censebat enim eas in ecclesia prorsus esse necessarias, quam sententiam fusius in epist. 181 explicavit. At in hisce quoque progrediendum esse iudicavit.

Eodem studio incitatus Coccejus, quam Scripturam interpretaretur, animum imprimis ad fontes intendit, ratus nullam versionem, ne accuratissimam quidem, posse aequari fontibus, et semper ubi non satisfacerent versiones, textum originalem praeferens. Gratulabatur autem ecclesiae, quod nacta esset versionem Belgicam, qua meliorem exstare nullam declarat. Ita enim dicit in praef. Lexico Hebraico praefixa: "Belgicam versionem cur in maximo pretio habeant, qui sacras litteras amant, magna causa est. Facta enim est magno cum iudicio et ab iis, quorum eruditio et peritia est testatissima. Denique, nullam ea meliorem esse visam antea, certissimum habeo." De notis quoque, doctae versioni additis, num iniquius iudicaverit, pateat ex iis quae in epist. 181 dicit: "Quod annotationes biblicas versionis Belgicae attinet; sunt illae doctissimae et a doctissimis viris partim excogitatae, partim ex doctorum virorum scriptis collectae. Interpretes vero in nullo aberrasse, neque quidquam reliqui fecisse in quo fideles proficiant, dicere non possumus, quia non habemus verbum Dei quod id dicat" 1).

1) De versionibus in genere porro sic iudicat: "Nulla, inquit, versio unquam ab hominibus facta, habenda sit authentica et quae non sit obnoxia examini, quemadmodum omnis expositio." Vid. "*summ. theol.*" c. VI, § 73. Neque tamen is est, qui versionum utilitatem, imo necessitatem negare velit.

Marcus porro aliis persuadere conatus est, Coccejum jugum suum cervicibus populi Christiani imponere velle, eumque "tyrannicum ingenium" appellabat, qui vellet "sua recipi ut Apollinis oracula, aut ut decreta Pontificis Romani." Nemo autem longius a tyrannidis affectatione abfuisse videtur, quam ipse Coccejus; nemo modestius sua proposuit; nemo aequiore animo a se dissentientes tulit. Audiamus ipsum, de iis, quae meditatus erat, dicentem in epist. 75: "Ita," ait, "nostra sunt; — neque tamen illibenter vel confidemus veritatem, quam didicimus, vel sacras Scripturas illustramus, vel ab aliis judicamur ac corrigimur. Spero, Deum in posterum quoque daturum ecclesiae profectum. Longe enim absum ab illorum mente qui putant, a praecedentibus omnia sequentibus praeripi." Et in epist. 91: "Ego nemini obstrepro, et patior omnes loqui ut volunt. Soli mihi non licet loqui ut didici, et ut puto, me loqui commodissime. Unum crimen est, putare ex Scriptura disci posse aliquid, et verbis Scripturae dici melius, quam theologi repente ex philosophia facti dicunt." Quibus adde quae leguntur in epist. 71:

In eodem enim scripto: "Per versiones, inquit, ecclesiam ad puriorem pleniorumque intellectum adjuvare non tantum licitum est, sed et debitum eorum, quibus hoc vertendi donum concessum est; sive ut confirmet ea, quae bene exposita sunt, sive ut defectus et aberrationes corrigant. Semper enim dabitur profectus in cognitione veritatis et sacrarum litterarum intelligentia, neque ulli nominati sunt expositores et interpretes, post quos nihil amplius disci et explicari possit. Multorum autem in hoc incumbentium, ut in omnibus linguis verbum Dei legi possit, cum maxime intelligentia labor, duo insignia bona praestat ecclesiae.

α. Tollit securitatem acquiescere volentium unius hominis sensibus, et cogit eos, qui opportunitatem discendi habent, ad ipsos fontes adire.

β. Tollit dubitationem de iis verbis, in quibus fundamentum et summa doctrinae continentur, an illa scilicet in fontibus ita reperiantur, quam ea verba ab omnibus fontium peritis eodem modo vertantur, qui tamen non ex compacto idem dicunt."

“Me consolatur illud Davidis “Credidi quod locutus sum.” In bona conscientia doceo et scribo ut possum; neminem impedio, quin suum talentum occupet; nemini obtruncato mea conficere. Non putaveram, me quoque debere experiri in nostris, Christum esse “σημείον ἀντιλεγόμενον.” — Quorum similia in ejus epistolis reperiuntur quam plurima, idque vero in epistolis ad amicos, quorum auxilio imperium suum stabilire debuisset. Nunc autem audiamus, quid dicat de illis, qui jugum suum aliis imponere velint, quod potius in Maresium quadrat ejusque assclas. Dicit in epist. 181: “regnat hoc seculo magna infirmitas. Quod quisque sentit, hoc putat, se et aliis praescribere posse; debebat autem id docere, non imperare.”

Quae quum ita sint, — constat in Cocceji scriptis axiomata ubique vigere, neminem loqui oportere in alterius nomine, nec in verba magistrorum jurandum, neque credendum veritati, quia hic vel ille eam loquatur, vel ei credi jubeat; — omnia porro praecipua seponenda, veritatem docendam, non imperandam esse; posse, denique, de variis rebus orthodoxos, salva amicitia, et quidem sine fidei judicio dissentire. Quae principia suis semper discipulis inculcavit. Et profecto, haud dubitandum est, quin minus ecclesiae rixarum fuisset, si principia illa majore semper gavisia fuissent auctoritate. Illi sane principiis hisce non nituntur, qui, ut jugum suum imponant fratribus, nihil intactum relinquunt, sic satis orthodoxiac suae securi, dummodo sub ejus promovendae praetextu dominantur fratribus et infirmorum conscientis; quod ut patiamur, nemo nos cogat mortalium!

Satis nunc a Maresii suorumque invectionibus Coccejus defensus esse videtur. Illum autem, post edita scripta sua

maledica haud acquiescisse, abunde patet ex conciliata amicitia ipsum inter et Voetium, quocum per triginta fere annos odio infensissimo certaverat, sed qui eodem ac Maresius in Coccejum odio incitatus, paratum se nunc ostendit, una cum illo conjunctum, in hunc tela sua convertere. Si autem molesti hi viri esse famae Cocceji ejusve asseclis possent, vivo tamen ipsi non amplius nocere potuerunt. Incipiebat enim circa hoc tempus grassari in urbe Leida epidemius quidam morbus, quo brevi tempore magnae edebantur clades et strages, quo ipse Coccejus quoque mox correptus est. Die V mensis Novembr., anni 1669, placido exitu spiritum Deo reddidit. Paulo antea laborem molestissimum lexici Hebraici feliciter ad finem perduxerat ¹⁾. Sepultus est in templo S. Petri urbis Leidae ²⁾ ubi aliquamdiu post monumentum ei positum est, jussu Mariae Heinsii, Jo. Henr. Cocceji viduae.

Parentavit ei collega et amicus conjunctissimus Abr. Heidanus in oratione: "*De luctuosa calamitate, quae, anno Domini 1669, civitatem Leidensem, curiam, ecclesiam et academiam graviter afflixit et praecipuis suis columnis et ornamentis destituit et orbavit.*" E qua oratione hic liceat nobis excerpta aliqua dare, quibus haec prior nostri speciminis pars claudatur. Sic loquitur Heidanus: "Fuit vero Coccejus theologus summus, inter praecipuos hujus aevi memorandus. Cui nihil ad perfectionem scientiae, qualis in hac

1) Primum editum est hoc opus apud J. H. Majum, Francof. ad Moenum, ann. 1714. Iterum in lucem prodiit Lipsiae anno 1777 sub titulo: "*Lexicon et commentarius sermonis Hebr. et Chald. post Jo. Coccejum et J. H. Majum longe quam antehac correctius et emendatius edidit J. C. Fr. Schulz.*"

2) Cujus monumenti descriptio legitur apud Fr. van Mieris in opere ejus "*Beschrijving der stad Leyden,*" dl. I. p. 59 seqq.

vita alicui contingere potest defuit, — sive sacrarum litterarum cognitionem, sive verbi divini intelligentiam, sive denique accuratum iudicium ejus de omnibus attendas. Summo amore summaque veneratione sacros prosequabatur Codices, adeo assiduus in iis quotidie diurna et nocturna manu versandis et meditandis, ut vix ullus Scripturae locus allegari potuerit, quin primo ejus audito verbo, statim integrum Graece aut Hebraice eum recitaret, maximo confirmatae memoriae et exercitationis argumento. Quibus ego verbis hominis assiduitatem in studiis et diligentiam et laborum tolerantiam et perseverantiam praedicam? Videre erat, eum semper cogitandum, et mentis thesaurum ex penu novo aliquo invento locupletantem; parcum temporis et subcesivis horis non minora saepe quam alii ordinariis ut sedulam apem convasantem.

Cogitare erat illi vivere, quod de homine docto pronunciat Cicero. De moribus et vitae ejus ratione quid dicam? Quum omnibus, qui illum norunt et amicitiam cum illo coluerunt probe constet, nihil in homine Christiano et benemerato desiderari posse, cujus ille typum in se non exhiberit. Qui ambulavit integre et timentem Jehovaham honoravit, uti David es ecclesiae civem describit. Quis in obeundo cultu Dei et tuendo officio diligentior, in instituenda juventute exactior, in cogitationibus communicandis liberalior, in laudandis bonis profusior, in castigandis malis severior? — Erat maritus optimus, oeconomus prudens, pater indulgens et liberorum supra modum amans. In alloquiis facilis et affabilis; in vestitu nitidus, in amicis eligendis non promiscuus, et quem nec adulatione, nec falsa laudatione, nec blandiloquentia conciliare aut fallere posses.”

“Vivit jam Deo,” sic tandem summo ardore incensus exclamavit.

mat Heidanus “superest in scriptis, vivit in fama hominum; memoria ejus erit in benedictione, et quamdiu eruditioni et virtuti erit honos, posterorum laude recens crescet et vixisse feretur.”

PARS ALTERA.

DISQUISITIO INTERIOR DE COCCEJO S. CODICIS INTERPRETE.

§ 1.

*De Cocceji regula "verba omne id significant, quod
significare possunt."*

Ex iis, quae hucusque de Cocceji vita, studiis ac moribus praemonui, jam lector aliquatenus efficere potest, qualis ille fuerit interpres. Intelligi quoque potest ex iis, quae commemoravimus, cur talis nec alius interpres evaderet. Apparuit nobis, a prima aetate Coccejum didicisse, sacras Scripturas summo cum amore et aestimatione prosequi. Vidimus quoque, inde a pueritia summam eum collocasse industriam in linguis addiscendis penitusque cognoscendis sacri Codicis originalibus. Quid de harum linguarum indole statuerit audivimus, nec non quae de sacri Codicis cogitarit versionibus atque de illius Codicis ipsius indole et auctoritate. Patuit nobis denique, quibusnam praesidiis instructum et quam

mente, interpretem ad Scripturae interpretationem aggredi debere censeret; itemque observavimus, cum id imprimis ubique egisse, ut interpretationem sacri Codicis ab omni imperio, sive traditionis, sive ecclesiae, sive philosophiae liberam vindicaret. De quibus omnibus rebus saepius disseruit in scriptis suis polemico-dogmaticis ¹⁾).

Hisce igitur praemissis nunc peculiari examini submittere nobis liceat ipsam Cocceji interpretandi rationem. Quod ut recte fiat, primum nobis videtur perpendendum, quid de Scripturae sensu verborumque significatione statuerit. Ita enim regulam hermeneuticam, quam praecipue secutus est, non enucleare non possumus ²⁾). Postea rationem exponemus, quam in sermonibus prophetarum interpretandis secutus est Coccejus, ut denique paucis verbis, quamnam ipse tamquam s. Codicis interpres habuerit vim et efficacitatem ostendamus, atque quamnam habere etiam nunc dignus sit. Ex nostri speciminis parte prioris, ipse lector ea efficiet, quae ad partem hanc posteriori supplendam haud inepta videantur. Itaque, ut speramus, notitias aliquas satis veritati consentaneas de Coccejo s. Codicis interprete sibi comparabit lector. Progrediamur jam ad ipsam rem.

Ipse Coccejus clare ac distincte affirmat: "non amplius uno sensu eodemque litterali et historico in Scripturis ad-

1) Praecipue in "*aphorism. c. Pontificios*" — "*animadversiones in Bellarm.*" — "*liber de potentia s. Scripturae.*"

2) Compendium non dedit Coccejus in quo interpretandi regulas s. principia sua hermeneutica in unum conferret et exponeret. Ipse dicit: "Neque haec quidem faciemus, ut regulas interpretandi fuse inculcemus, quod fecit nuper peculiari libro plenissime et enucleatissime cl. Danhawerus, prof. Argentiniensis, qui quum in manibus studiosorum sit, possumus hoc labore supersedere." Vid. "*Protheor. de rat. interpr.*" c. V. § 41.

mittimus" 1). Quod effatum mire videtur pugnare cum notissima ipsius regula "verba significant quod significare possunt." Profecto, si eam regulam sine omni accuratiore capias circumscriptione ac definitione, haud immerito concludi posse videtur, januam sic patefieri ad interpretationes maxime arbitrarias. Qui enim interpres ea utitur, jus sibi vindicatum potest putare, in singulis locis Scripturae omnes unius ejusdemque verbi significationes adhibendi, quas in diversis locis verbum illud habeat. Quod autem Cocceji consilio prorsus contrarium. Diutius, revera, quam ferri potest, ille fuit, ut ita dicam, permultorum levitatis ac ignorantiae victima. Neque ideo dubito quin, si quis regulae illius accuratius perpendere velit significationem, eamque secundum mentem et consilium ejus consideret auctoris, labenter concedat eam summi momenti continere veritatem, atque ita haud risu dignam esse ac opprobrio, sed contra maxima aestimatione, quippe quae regula viam nobis ostendat regiam, qua progrediendum unicuique bono interpreti est.

Itaque audiamus ipsum Coccejum de verborum significatione in genere, de regula illa peculiariter dicentem.

In libro qui inscribitur "*summa theologiae*" sic loquitur 2): "Homo Scripturas legens et interpretans, non prius debet acquiescere, quam repererit vel audiverit expositionem eam, quae ita conscientiae satisfaciat, ne verba pro verbis substituendo, addendo, detrahendo, transponendo videatur verba Dei mutare aut emendare, quemadmodum ludimagistri puerorum schedas corrigere solent. Neque igitur sufficit, id pro

1) "*Summ. theol.*" c. VI, § 52. Item in *Aphor. c. Pontif.* Disp. I. § 28: "An habeat, inquit, Scriptura plures sensus? Negamus."

2) c. VI, § 39 seqq.

sensu reddere, quod quomodocunque occasione eorum, quae leguntur, legenti in mentem venit, dummodo id alioquin non sit falsum. Nam non hoc quaeritur quid interpretes dicat, sed quid Spir. S. in quovis loco doceat. Quando enim interpretes aliud dicit, quam quod Spir. S. docet, licet verum dicat, tamen, Scripturis non mentientibus, fallitur. Et non tantum periculum est in interprete sacrarum litterarum, sed etiam in ejus auditore aut lectore. Si enim hic non id audiat, quod perspicue videat a viris Dei esse dictum, vel incipiat, insuper habitis Scripturis, interpretis eloquentia delectari, vel simul Scripturam et interpretem contemnet; certe fraudabitur sensu illius loci, quem tractat interpretes, et non aedificabitur per eum, neque ad amandam scrutandamque Scripturam invitabitur. Scopus autem omnis institutionis est, ut auditor doceatur a Deo et ipsius vocibus pascatur.”

Postquam tam graviter Coccejus admonuit interpretem, ne prius in Scripturae sensu investigando acquiescat, quam omnem suam in eo posuerit industriam — quod sane egregie nobis ostendit, quam longissime ipse fuerit remotus ab omni levitate in Scriptura interpretanda — sic pergit: “Quae interpretatio pondus vocabulorum, usitatam rationem phraseos, ἀκολουθίαν rerum, et analogiam Scripturae observat, quin ea sane recta, certa expositio verborum et ipsa ἀποκαλύψις Spiritus sit, nulla ratio dubitare sinit. Nam quis potest dubitare, hoc significare verba Spir. S. quod valent? Quis neget, hoc voluisse Spir. S. ab eo, qui legit vel audit cogitari et pro mente ipsius accipi, quod ut cogitet lector vel auditor verba ipsa efficere possunt, nulla parte sermonis refragante. Quod nisi demus, tollendus est usus sermonis ex mundo; nam si etiam dicas, doctorem aliquem debere nobis

declarare quis sensus Scripturae sit, unde sciam quis sensus sit verborum, quibus utitur is, qui perhibetur declarare sensum Scripturae, *si non id, quod valent verba alicujus sermonis, omnibus consideratis, significare, id significant?* Profecto, nihil aliud est significare, quum de sermone dicitur, quam constare verbis aptis ad excitandum in auditore eam cogitationem, quae est in loquente. Nam si hoc valeant verba, signa sunt, et signa sunt cogitationis, quae est in loquente. Cujus autem mentis signa sunt, eam significant. Et hinc statui potest an verba, quae nonnunquam latius, nonnunquam strictius significant, — nonnunquam proprie, nonnunquam improprie usurpantur, alias in plenissima notione, alias in minus plena adhiberi solent, hoc vel illo modo accipienda sint. Nam quam notionem intentio loquentis, membrorum concinnitas, rerum ordo et distinctio postulat, ea agnoscenda est; quam vero haec non postulant, eam verbis attribuere violentum est” 1).

Quantum igitur ipsius Cocceji de verborum significatione differat sententia ab illa, quae vulgo ei adscribitur, jam facile nemo non perspicit. Quod ut luculentius nobis ante oculos proponatur, plura Cocceji effata memorare lubet. In praefatione epistolae ad Romanos praemissa haec legimus, quae majorem lucem nobis afferunt: “Id significant verba, quod possunt significare *in integra oratione* (i. e. oratio cui nil deest, quae absoluta est) sic ut omnino inter se conveniant.” Et paulo antea dicit: “Significatio sumenda est non ex aliqua potestate singulorum verborum, aut phraseos, aut enunciationis alicujus, sed ex tota compage sermonis. Sic

1) “*Summ. Theol.*” c. VI, § 46 sqq.

explicanda priora, ut interpres nihil cogatur in tota oratione torquere infensior Scripturae quam sibi. Tunc autem sine dubio interpres est offensior Scripturae quam sibi, quando optat quod legit aliter dictum, — et quando non Scripturam per Scripturam interpretatur, sed verba sua ut magis significantia et commodiora pro verbis Scripturae substituit. Ubi datur interpretatio secundum analogiam fidei et orationis s. contextus et phrasiologiae Scripturae, non est quaerenda alia. Sic dico: quando interpres id dixit, quod juxta conformitatem aliarum partium Scripturae ex verbis intelligi potest et scopo omnibusque apposis, antecedentibus et consequentibus satisfacit, nihil est super addendum. Neque ferenda interpretatio exinaniciens et magno artificio efficiens, ut minus intelligatur quam videtur dici. Id enim est detrudere Scripturae.”

Eodem fere modo loquitur in praefatione ad Philippenses, ubi sic legimus: “Tum censendum est apparere dictorum sententiam, quum et singula verba et phrases in expositione nullam patiuntur vim, sive in proprio significato, s. in tropico, sive in lato, s. in stricto; imprimis si usus sanctorum scriptorum eum significatum testetur, et, omnibus partibus integrae orationis inter se compositis, eluceat intentio loquentis ipso digna, et omnium partium ad eam intentionem amice conspirans consensus. Existimandum enim est, id Spiritum voluisse cogitari, auditis verbis suis, quod ad ea attendens prudenter cogitare potest.”

Ex hisce, ni fallor, satis superque patet, Cocceji sententiam fuisse, id quovis loco significari, cui significando verba cujusque loci aptissima sint, ita ut ad id significandum, vocabula meliora et aptiora desiderari nequeant. Quod-

cumque vocabulum, locutio, phrasis, enunciatio potest significare e voluntate scriptoris, analogia Scripturae, omnibusque appositis, antecedentibus et consequentibus bene consideratis, — id procul dubio significat. Haec est Cocceji regula. Qua in re, profecto, confidimus eum fecisse cum optimo quoque interprete statuente, ad Scripturae intellectum consequendum opus esse scopi inspectione, et verborum attendita enucleatione, neque posse errare interpretem, si scopus, antecedentia et consequentia non repugnent et verba in summa emphasi accipiuntur. Si hanc regulam homines veram esse nolint, quid tandem ipsis certius et verius esse videtur? — An forte verba id significare, quod neque contextus, neque phrasae, nec voluntas scriptoris ferunt? Hoc non facile quisquam suae mentis compos unquam dixerit. Fatendum quidem est, multos Scripturae locos aliam et aliam interpretationem pati videri, difficileque tum esse iudicatu, quam significationem scriptor voluerit; nec tamen in vero sensu investigando, alia tunc videmur uti posse regula, nisi hac, ut observemus, quid verba ex antecedentium cum consequentibus nexu, et ex collatione aliorum locorum, ita ut iis vis non fiat, possint et debeant significare. Certe, si omnes, qui in hac sunt et fuerunt sententia, vituperatione digni videntur, severiore tum dignus videatur Augustinus, quem in hac sententia fuisse constat ex iis, quae leguntur libri 12 "*confessionum*" c. 31, "Cum alius dixerit," inquit, "hoc sentit Moses quod ego: et alius: imo illud, quod ego; — religiosius me arbitror dicere: "cur non utrumque potius, si utrumque verum est?" Et in libro tertio "*de doctrina Christiana*" c. 27: "Quid," ait, "in divinis cloquiis largius, uberius potuit divinitus provideri quam ut eadem verba pluribus intelligantur

modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?" Et in opere "*de civitate Dei*" libro II c. 19: "Quamvis itaque divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit et in lucem notitiae perducit, quum aliis eum sic, alius sic intelligit."

Num vero Augustinus hac in re longius quam fas est progressus sit, hoc loco dijudicare alienum mihi videtur. Sed videmus ab eo quoque affirmari, revera exstare verba, quae aliam in aliis locis habent significationem. Quod quum ita sit, interpreti cavendum dicit, ne in ejusmodi verborum interpretatione versans, temere alterius rejiciat interpretationem, si forte a sua discrepet. "Quando," sic rursus Augustinus, "ex iisdem verbis Scripturae non unum aliquid sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Scripturae sacrae doceri potest" ¹⁾.

Hisce assentitur Coccejus, neque tamen is vult haberi, qui idcirco ambiguum reddere Scripturam in animo habeat. Strenue ab hoc crimine se defendere studet dicens: "Neque hic mihi dicat aliquis: Aliud alii videri commodum. Respondemus, fieri non posse, ut non melior interpretatio melioribus sit subnixa rationibus; interim tamen posse aliquando fieri, ut in eodem verbo alius alio plus videat, et Deus velit utrumque significari et per diversas diversae sententiae partes ecclesiam aedificari. *Partes*, dixi, *sententiae*, "sic pergit," *nec enim amplius uno sensu litterali et historico in Scriptura admittimus*, qui in verbis est ex mente et intentione loquentis, sive verba in propria, sive in metaphorica et translata signi-

1) Vid. *de doctr. Christ.* libr. III. c. 38.

ficatione veniant. *Nam allegoria non constituit peculiarem sensum Scripturae.*”

Sic noster; et mirari sane licet, regulam ejus de verborum significatione toties male intellectam esse ac dijudicatam. Verum enimvero, jam ab initio illa multorum contemptui obnoxia fuit. In praefatione jam saepius laudata, quae Cocceji operibus praemissa est, filius narrat, regulam illam a quibusdam tunc viventibus nominatam esse “principium Judaicum, improbatum ab omnibus orthodoxis theologis, neque sine magna ratione, quum viam sternat introductioni atheismi et contemptui verbi divini.” Ex quibus verbis luce clarius videmus, quo ruant partium studio abrepti. Nemini enim certe patet, quomodo principium illud ad atheismum ducere possit. At quid tandem est, cur hoc principium dicant esse Judaicum? “Docent, inquiunt,” — sic pergit filius — “docent Judaei in Talmude suo, has esse divitias Scripturae, ut quivis textus septuaginta admittat interpretationes. Judaeis nempe mos est, ut explicaturi sacrae Scripturae textum non considerent themata complexa, sed themata incomplexa, h. e.: non inquirunt in verum sensum textus, sed verba solum considerant et in concordantiis suis quaerunt, quotuplex cujusque verbi significatio sit. Unde tot formant conceptus, quot invenerint significationes, illosque textui explicant, qui tum cogitur dicere, quod imperant hi conceptus. Quam methodum sequi Coccejum patet passim ex ipsius commentariis.” Sic adversarii. At filius indignabundus: “Lepida prorsus capita! haec persuadeant cuiquam cerebrum habenti! Ii, si didicissent erubescere et vel ullum patris commentarium absque praejudicio legissent, aequius de proximo judicarent, quum nemo magis a Judaeorum nugis ab-

horruerit quam parens." Profecto, quam maxime Coccejum ab Judaeorum illa methodo alienum fuisse, non facile neget, qui attente legerit, quae supra memoravimus. Quomodo enim is, qui in verbis alicujus scriptoris explicandis versans, ad mentem ejus, nec non ad orationis, in qua legantur, omnes partes attendendum esse censeat, quomodo is, quaeso, septuaginta possit cujusque verbi admittere interpretationes, quum scriptor, nisi saltem stultus sit, unam tantum rem unoquoque verbo significare semper velit? — Neque commentarii Cocceji id, quod ferunt adversarii, nobis ostendunt. Quid? quod ipse Coccejus ejusmodi Judaeorum interpretationes dicit "expositiones elumbes, carnales, dilutas, jejunas, lubricas, frigidas, varias, fluctuantes" ¹⁾. Quod sane non dixisset, si eidem ac illi hac in re addictus fuisset methodo.

Quemadmodum ab ipsis aequalibus suis Coccejus male receptus est statuens "verba id significare, quod significare possunt," sic quoque principium illud hermeneuticum, ut jam diximus, a recentioribus vulgo reprehensum est. Enumerare vix eos possis, qui clamarint, principio illo januam patefieri ad Scripturae sensum prorsus corrumpendum. Vidimus autem hoc non ita se habere, dummodo bene Cocceji sententiam percipiamus, regulam suam constituentis. Quaenam tandem sunt causae, cur plerique eam non percepisse videantur? Primum, ni fallor, hic in censum venit, quod reprehensores Cocceji, commentarios ejus legentes, multas in iis invenerint textus expositiones, quae sanae menti repugnare videntur. In commentariis enim suis Coccejus, quum saepius hypothesebus dogmaticis locum concedat, iisque suas inter-

1) Vid. praef. Cocceji commentarii in epist. ad Hebraeos.

pretationes superstruat, non potest non a recto subinde aberrare tramite, et talia proferre, quae a vero et genuino scriptorum sacrorum sensu abhorrent. Imprimis in V. Test. in vaticiniis ad eventus speciales applicatione itemque in typorum et imaginum multiplicatione ita ingenio suo indulget, ut, quae ipse pro certissimis det explicationibus, aliis non possint non inanes vanissimique imaginationis lusus, qui ne speciem quidem verisimilitudinis habeant, videri. — Qua de re infra quum de ejus ratione interpretandi prophetarum sermones agendum est, plura dicere propositum mihi est. Sed in novo quoque Test. interpretando Coccejus sacpius systemate suo *theologiae* quae dicitur *foederalis* eo perducitur, ut nimis indulgeat studio suo divitias dogmaticas quaerendi ¹⁾.

Quae quum ita sint, quid iis, qui Cocceji commentarios evolventes, invenerint ibi plurimas interpretationes verae interpretationi vehementer repugnantes, quid iis facilius quam earum originem ducere ex regula illa tam singularem sonum habente “verba omne id significant, quod significare possunt?” — Sic, ne alios commemorem, e. g. Joann. Franc. Buddeus ²⁾: “Coccejus, inquit, verborum Scripturae significationem cousque extendit, ut significare credantur quidquid significare possunt; quam quidem excogitasse regulam censetur, ut eo facilius, quae de certis eventibus in Novo Testamento illi in mentem venerunt, ex typis et vaticiniis Veteris Testamenti elicere posset.”

1) Quod et recte monuit vir cl. H. N. Klausen, in opere suo Germanice redditum *Hermeneutik des N. Test.* p. 285: “Scinc Exegese des N. Test. leidet allerdings unter dem Bestreben, dogmatischen Reichthum überall finden zu wollen.”

2) Vid. ejus *Isagog. ad Theolog. univers. singulasque ejus partes*, Tom. II. cap. 8. p. 1508.

Prorsus autem haec Buddei atque eorum, qui cum eo faciunt, est improbanda opinio. Firmiter negandum est, Coccejum eam ob causam "excogitasse" regulam de qua agitur. Ejus originem omnino aliunde repetendam esse, mox demonstrare conaturus sum. Ceterum liceat mihi iterum monere, severioris ac religiosioris indolis fuisse Coccejum, quam qui in sacra Scriptura tractanda versans, regulam "excogitasset," ut suis tantum hypothesebus inserviret. Quod satis apparet ex priore hujus speciminis parte ¹⁾).

Altera causa, cur Cocceji regula permultis suspecta fuerit atque etiam nunc sit, in eo sita videtur, quod multi post eum, Coccejani dicti, ea abusi sint. Audiamus Philipp. à Limborch hac de re agentem in praef. ad *comment. in acta Apostolorum et in epist. ad Romanos et ad Hebraeos*. De fonte enim, ex qua allegorica Scripturas interpretandi ratio manarit, quum disputavit, quumque laudavit viros illos eximios, qui ecclesiae a variis erroribus ac superstitionibus reformandae laudabilem dederunt operam, ita pergit: "Quis credidisset, semel illa allegorizandi prurigine rejecta, quae Scriptura tamquam regula lesbica abutitur, et cuivis homini otioso quaevis somnia cujusque ingenio, indoli ac temperamento, quin et opinionibus, quibus imbutus est accommodata, pro divinis oraculis venditandi ansa datur; eandem

1) Sequentia verba quae in epist. 170 exstant, egregie quoque Cocceji indolem ostendunt: "Gratias ago Deo meo, quod mihi dederit et a pueritia audire verbum suum, et quum vix pueritiae annos egressus essem, mihi in manus quasi dederit Scripturas, ut eas legerem et meditarer dies et noctes et necesse haberem, eas quotidie scrutari, ut ex iis proficerem et ad quae profecissem auditoribus meis propinarem. Ipsa dies me monet, ut, si non hactenus steti in statione ad expectandum Dominum meum, nunc certe incipiam in eo versari, in quo velim inveniri quum Deus me visitabit. Atqui ego nil pulchrius poyi, nihil magis salutare, quam verbis Dei considerandis immori."

denuo in ecclesia reformata inveni et maximo plurium applausu recipi ae praevalere potuisse? Rejicitur quidem nomen allegoriae, sed ipsa nihilominus sub alio nomine retinetur, et sensus, qui mera constat allegoria, litteralis Scripturae sensus appellatur, ampla atque latissima interpretandi excogitata clave, verba Scripturae hoc omne significare, quod significare possunt. Verum quidem est, ne illius absurditas primo statim adpectu sese prodat, restrictionem quamdam addi solere, quod hoc intelligendum sit de verbis textus originalis, atque iis non separatim sumtis, sed prout in contextu integro occurrunt. Attamen *praxis* ostendit, hujus restrictionis exiguam haberi rationem, et unumquemque sub praetextu sensus litteralis quaevis per vanam imaginationem commenta effingendi, non minorem, si non majorem quam unquam Pontificios per allegorias licentiam sibi arrogare, et tamquam genuinum Scripturae sensum magna cum confidentia obtrudere.”

Sic à Limborch. Quidquid est, etiamsi confitendum est, multos, qui dicuntur Coccejani, allegorizandi studio deditos fuisse, firmiter denuo negamus, id ex Cocceji regula bene intellecta et applicata explicari debere. Profecto, sibimet ipsi à Limborch repugnat, ab altera quidem parte regulam interpretandi de qua agit abominans, tamquam allegorizandi studii matrem; ab altera parte vero, verbis suis “attamen *praxis* ostendit hujus restrictionis exiguam haberi rationem,” quasi invitus confitens, non vero ipsam regulam illam, sed potius ejus abusum aut corruptionem causam fuisse, “cur permulti licentiam sibi arrogarent, quaevis per vanam imaginationem commenta effingendi, et tamquam genuinum Scripturae sacrae sensum magna cum confidentia obtrudere.” Quae res, quum ita se habeat, quis est, qui Coccejo vitio vertere

velit, quod fuerint, qui ipsius regulam perperam intellexerint et applicarint?

Sed properemus nunc ad quaestionem accuratius tractandam, quidnam permoverit Coccejum, ut regulam suam hermeneuticam dederit atque tam acriter defenderit. Quod si rite peregerimus, mox, ni egregie fallor, persuasum nobis erit eam minime ab illo excogitatam esse, ut ea utens interpretis studio allegorizandi posset habenas laxare; sed, ut jam dixi, prorsus aliunde regulae ejus originem petendam esse. Iterum igitur nobis aetatem ante oculos proponamus, qua vixit noster. Supra jam monui, in quam conditione studia exegetica, eo vivente, jacerent. Apparuit nobis, interpretationem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae jugo plane subactam esse. Ipse noster questus est de iis, qui "in Scripturis versantes, ambigue dicta seligentes, in proprias opiniones ea transtulerunt, paucas sparsim voces praecerpentes, non significationem ex ipsis considerantes, sed nudo utentes dictionis sono" 1). Videns Scripturae interpretationem sic nihil prodesse, hoc aegre ferebat Coccejus, qui statuit "non melius se de ecclesia bene mereri, quam ex attenta Scripturae indagatione, et tantam esse illius Scripturae sensus foecunditatem, ut nullius hominis intellectu exhaustiri posset" 2). Itaque id spectavit, ut vim perniciosam infringeret, quam in dies magis magisque, quae vigeat, perversa interpretandi methodus habitura videbatur, et omnibus, qui collationem Scripturarum inter se, atque singulorum locorum scopi ac connexus observationem parvi faciebant, regulam suam opposuit, quam enucleare conatus sum. Imprimis Socinianos et

1) *De pot. Script.* c. 21.

2) *Orat. de Phil. sacra*, p. 58.

Remonstrantes accusavit, quod hac in re multum peccarent ¹⁾. Atque de se ipso in praef. ad Galatas haec profert: “Ideoque et filum Scripturae sequimur, non hinc inde carpentes ejus particulas, sed totos libros ab initio ad finem ordine considerantes, neque nostras conjecturas et divinationes aut hypotheses, quas humana philosophia vel commendat vel attingit, vel etiam hominum auctoritate nobilitatas sententias, neque nostras cupiditates afferentes, ut illis accommodemus verba Scripturae; sed *spiritualia spiritualibus*, h. e. tum sermonibus Spiritus, ipsius sermones, tum iis quae docet, ea quae docet *comparantes* atque ita analogiam fidei servantes, claram illam ἀπόδειξιν ac demonstrationem consequimur, qua Spir. nobis probat, quae ipse docet esse veritatem et sapientiae ac prudentiae fontem. Quae demonstratio est potentissima ad captivas ducendas cogitationes in obedientiam Christi.” Et alibi viam ac rationem suam de sensu verborum recte inquirendo sic describit: “Nos non excludentes ullam Scripturae utilitatem, *unum sensum* Scripturae dicimus esse, nempe *literalem* s. *historicum*; eum autem non constituimus in verbis ubique sine figura et modificatione acceptis, sed in ipsa significatione et intelligentia omnis sensus, quem secundum analogiam fidei insuperque totius revelationis Dei, scopum cujusvis pericopae, et intentionem sermonis, antecedentia et consequentia, ipsorumque vocabulorum vim, pondus et usum, dicta Scripturae habere possunt” ²⁾.

En igitur Cocceji theoriam de Scripturae sensu investigando, accuratius paulo expositam, regulamque ejus, ex mul-

1) *Aph. c. Soc. Disp. I. § 23*: “Verbum Dei,” inquit, “Sociniani volunt esse ὡς ἐπιβολῆς, dum spernunt Scripturae παραλληλίαν.”

2) *De potentia Script. c. 21, § 7.*

torum ore toties repetitam atque absurdissimam dictam, ab omni, ni fallor, absurditatis specie liberatam. Perspicuum jam est, nil aliud Coccejum spectasse, quam ut in rectam viam plerosque sui temporis reduceret interpretes, qui, dogmatismi jugo subacti, hinc inde Scripturae partes carpentes, orationisque adeo imprimis contextum non satis considerantes, vèl nimis parum, vèl nimis multum ex Scripturae locis efficerent. Si forte quis mihi hic objiciat, ipsum nostrum saepissime supra modum divitias sensus in Scriptura sibi invenisse visum esse, — equidem haud infitias eo. Fatendum est, ab altero in alterum scopulum eum incidisse. Res autem ita se habere videtur.

Coccejus quum intellexisset, interpretandi rationem, suo tempore maxime vigentem, parum sufficere ad veritatem in s. Scriptura traditam inveniendam, aliam interpretandi viam, ut vidimus, ingressus est. Quid igitur instituit? Secutus est “filum Scripturae, non hinc inde carpens ejus particulas, sed totos sacros libros ab initio ad finem ordine considerans.”

Hac via progrediens, mox ex diversis Scripturae locis plane alium atque aequales sensum eruit, imo vero eo pervenit, ut theologiam suam foederalem conderet, de qua verbo supra monuimus. Minime hanc contemnendam esse, inter viros doctos constat. Dolendum autem est, semel systemate hocce condito, nimium Coccejum eo delectatum esse, atque idcirco nimio plus studio indulsisse, semper novas res hauriendi ex illa Scriptura, quam tantas divitias continere expertus fuerat ¹⁾. Itaque alium scopulum dum caute vult

1) Conf. quae hac de re leguntur apud Henke in o. l. p. 450 seqq. G. W. Meijer, *Gesch. der Schrifterklärung seit der Wiederherst. der Wissensch.* p. 441 seqq.

evitare, in alium mox incidit noster, quippe qui, aliorum rejiciens auctoritatem, suo ipsius systemate captivus ageretur; — atque sic suam ipse regulam haud raro parvi fecisse videtur. Qua regula bene intellecta, qui caute utitur interpres, non potest non, ut vidimus, in interpretando feliciter procedere. Graviter errant, qui per eam contendunt legitimas declarari maxime arbitrarias Scripturae interpretationes ¹⁾. Habeam sane quod laeter, si tandem aliter cogitent ii, qui contendunt atque clament, Coccejum regulam eam constituentem id spectasse, ut studio allegorizandi habentiae laxarentur. Ceterum, quae vulgo Cocceji dicitur et reprehenditur interpretatio allegorica, potius est dicenda typico-prophetica, ab illa multis nominibus diversa. Quod in sequente paragrapho fusius exponemus. Liceat mihi huicce finem imponere pauca referendo, quae noster de allegoriis statuit.

Dicit in praefatione epist.^{ae} ad Romanos: “Figurae, aenigmata, parabolae Scripturae docendi et probandi vim habent. Neque enim frustra a Deo data sunt. Et revera habent certam et demonstrabilem significationem. Analogia ostendit cujus rei *δύλωσις* habeant. Sed similitudines ab hominibus cogitatae non probant. Ubi Scriptura facta narrat, ad allegorias convolare non est solidum. Ex historiis propter aliquam similitudinem figuras et allegorias facere, parum ju-

1) Qua censura inter novissimos in genere hermeneutico scriptores dignus J. E. Cellerier, qui in opere suo cui titulus *Manuel d'Hermeneutique Biblique*, p. 16 sic scribit de Coccejo agens: “Les allégories et les doubles sens ne lui suffisaient pas; il les affranchit de toutes règles, et de toutes limites. Il declara legitimes tous les sens, qu'il était possible de donner à l'Écriture, ce qui dans la pratique revient presque à déclarer vraies et divines toutes les prédictions et révélations possibles.”

vat vèl fidem vèl intelligentiam.” Item in *Protheoria de rat. interpret.* c. VI: “Unum,” ait, “est tenendum; sine necessitate evidenti a propria significatione vocis desciscendum, et ad allegoriam recurrere non esse”¹⁾.

§ 2.

De via ac ratione, quam in V. Test. et in vaticiniis interpretandis Coccejus secutus est.

Interpretatione Veteris multo magis quam Novi Testamenti malam sibi famam collegisse Coccejum certum est.

Revera negari nequit eum hac in re vel maxime peccasse, quod utrumque in pari habuerit honore, nec ulla in re Veteri Novum praetulerit. Sic eum audimus accusantem Socinianos, quod “in catechesi suo dicant, maxime ex Novo Testamento cognosci viam beatitudinis, innuantque neque promissa eadem neque praecepta exstare in Veteri”²⁾. Declarat quoque “nihil doctrinae Veteris Testamenti in Novo additum esse.” Hanc de utriusque Testamenti indole sententiam fuse Coccejus exposuit in theologia sua, quam dicit foederali, de qua paucis jam monui in priore hujus speciminis parte. In theologia illa, ut vidimus, obtinet, quod ubique fere in Veteri Test. Christum sibi invenire videatur. Quae sententia totam ejus moderatur Veteris Test.

1) Vid. quoque *Aphor. c. Pont.* disp. I, § 8. *Aphor. c. Soc.* disp. 2, § 22. *Animado. in Bellarm.* disp. 3, § 15, disp. 2, § 38. *Summ. Theol.* c. VI, § 22.

2) *Aph. c. Socin.* Disp. I. § 26.

interpretationem. De prophetiis statuit “quod signent ordinem rerum gerendarum in mundo, per quas adventus Christi in carne appropinquans debeat cognosci” nec non quod “ipsam qualitatem temporis, quo Christus adesse debeat, et propagationem, tentationes, conservationes, victorias ecclesiae de hostibus, ordine prudentissimo sine confusione doceant, et iis verbis, quorum valor implementis evidentibus hucusque comprobatus est; ita ut, nisi velimus dicere praeter mentem et intentionem Spir. S. omnia ipsius verba exactissimo eodem ordine et iisdem circumstantiis compleri, ipsas historias a prophetis descriptas quasi digito commonstrare possint qui habent sensoria exercitata, et suas hypotheses non admiscant Scripturae”¹⁾.

Hanc rationem considerandi prophetarum sermones, in eorum interpretatione versans, Coccejus ubique in commentariis suis secutus esse videtur. Fusius eam exposuit in praefatione ad *Ultima Mosis ad duodecim prophetas minores* et imprimis in praef. ad *Apocalypsin* Accuratius nunc paulo eam consideremus.

Secundum Coccejum igitur omnes qui in utroque foedere leguntur sermones prophetici ad ecclesiam spectant. Alii autem ad caput ecclesiae, i. e. Christum; alii ad corpus ecclesiae, i. e. Christianos omnium seculorum, pertinent. Existimat porro, prophetias omnes ad ecclesiam pertinentes commodissima et facillima methodo adstringi et referri posse ad *certa ecclesiae tempora* divino consilio descripta; hisce *temporibus* subordinari vult alios *casus* et *eventus*, tamquam *signa quaedam illorum temporum prognostica*,

1) *Summ. Theol.* c. V. § 32.

quippe per quae ecclesia moneretur de *temporum* illorum qualitate, et ex quibus *signis* scrutatores viarum Dei colligere possent, quantum temporis lapsus jam praeteritumque esset, et quantum adhuc lapsurum; quantum temporis emensa esset ecclesia in hac vel illa oeconomia, quantum adhuc emetiendum exstaret¹⁾.

In hoc igitur versatus argumento, Coccejus meditationes suas propheticas praecipue defixit in *tempora* duo illustriora, quae sunt: *tempus manifestationis Messiae in carne* cum institutione novae oeconomiae, et *tempus consummationis saeculorum* cum glorioso ejusdem adventu ad iudicium novissimum. Priori *tempori* subjicit *signa* sex, quae jure petere et illustrare sibi videtur ex *Deut.* 30:1—6. Posteriori subjicit *signa* septem, quae eruere conatus est ex *Deut.* 32:21—44 et ex ejusdem libri capite 33:1—24; sed deinde praesertim ea produxit ex Apocalypsi, ita passim instituens in sua hujus libri interpretatione, ut ad hasce periodos earumque signa omnes prophetias adstrinxerit et imprimis septem periodos posterioris *temporis* in vaticiniis V. Test. certo ordine et serie ostendere laboraverit. Audiamus hac de

1) Hypotheses, quibus haec nititur Cocceji methodus tractandi prophetias sic leguntur apud Camp. Vitringa in opere: *Typus doctrinae propheticae*. α. Deum constituisse ecclesiam suam, se non uno sed diversis modis regere, adeo ut ecclesia se non una sed diversis faciebus in mundo conspiciendam daret, nec unus ejus esset status, sed varii. β. Quemque *statum* et modum administrandae ecclesiae divino consilio esse circumscriptum certis *temporum periodis* quae cujusque *status* ecclesiae durationem limitarent. γ. Ecclesiam non transire ab uno statu ad alium absque *insigni* quodam *eventu* et mutatione memorabili. δ. Deum ecclesiam per prophetas docere voluisse, quinam acciderent *casus* memorabiles in singulis periodis, ut pii homines illos casus diligenter observantes, inde primo quidem cognoscerent sui temporis *qualitatem*, deinde etiam scirent et intelligerent quantum ecclesia in quaque aetate et periodo temporis provecata sit et pei suae quid quantumque jam sit adepta, quid supersit, etc.”

re eundem Camp. Vitringa in o. l. p. 147 seqq. "Coccejus," ait, "in meditationibus suis prophetis hypothesin de septem periodis temporis N. T., quam post Joachimum, Abbatem coenobii Florensis, ante saec. XII Franciscani ordinis monachi aliquot in medium produxerunt et commendaverunt, ipse denuo ursit et tam ad Apocalypsin, quam ad prophetias V. T. interpretandas applicuit. . . . Quae hypothesin Coccejo, nec non aliis multis ante et post eum probabilis fuisse videtur hasce ob causas. Primo, quod ex illa explicandum esse putarint usum frequentissimum numeri septenarii in sacris veteris oeconomiae, idque in notabilibus casibus. Secundo, quod ex nulla alia reddi posse putarint rationem, quare festa plura sub oeconomia vetere circumscripta fuerint septiduo, quorum dierum festorum primus et ultimus essent sabbata."

Labet mihi hic septem illas periodos commemorare in quas, si Coccejo credimus, historiam ecclesiae Christianae divisam fore Spir. S. per prophetas praedixit¹⁾.

Prima periodus nobis ostendit, vel continet, ecclesiam Apostolicam puram, castam, pacatam, florentem — usque ad exortas gravissimas paganismi persecutiones.

Secunda, ecclesiam laborantem et afflictam sub imperio imperatorum Romanorum, usque ad pacem ecclesiae in orbe Romano constitutam a Constantino.

Tertia, ecclesiam jam quidem liberatam a persecutionibus paganismi, sed ab hoc inde tempore incipientem conflictari cum haeticis. Extenditur haec periodus usque ad initium Saec. VII s. Bonifacium III.

1) Conf. comment. ad *Ultima Mosis* c. 32 et 33.

Quarta, tempus, quo ecclesia superstitione et idololatria corrupta, atque obscurata est crassis ignorantiae tenebris. A tempore Bonif. III u. ad reformat. cccl. saec. XVI.

Quinta, tempus inde a reform. saec. XVI u. ad pacem Passaviensi transactione sancitam anno 1552.

Seata, tempus, quo ecclesia reformata certo pede progreditur ad hostes, de quibus sub finem hujus periodi sumenda erit vindicta terribilis, quando ecclesia Christi, a scandalis purgata, destructo antichristianismo, et multis Sp. S. donis locupletata, insigniter in mundo florere inceperit. Terminus haecenus incertus.

Septima tandem periodus continet ecclesiae in hisce terris statum pacatum et gloriosum, quo ipsa, tantis divinae gratiae beneficiis laeta, in arctissima Christi communionem celebrabit sabbatum suum, Decurret hoc tempus usque ad finem saeculorum¹⁾.

Profecto, semel hypothese accepta, Jesum Christum religionemque ab illo conditam finem et scopum summum fuisse, quem omnes ubique scriptores V. T. sibi proposuerint, Coecejus omnes historias et homines illustres, per quos res gestae sunt, typos esse judicat, qui vel Servatorem nostrum ipsum ejusque vitam in terris actam, perpassiones, mortem et resurrectionem, vèl res in nova religionis Christianae oeconomia factas praesignificarint. Vaticinia, quae de Babyloniiis, Idumaeis, Ammonitis, Moabitis, Aegyptiis, aliisque gentibus illo tempore celeberrimis ediderunt prophetae, sensu litterali quidem de iis exponit. Mystico autem sensu, quem spectaverint vates, ad multo seriora respici tempora, hostesque

1) Cf. et v. Hamelsveld, *Het Nieuwe Testament*, ed. 2ae ad Apocal. I: 11 — III: 14.

ecclesiae Christianae, Romanorum imperatores, primos Christianorum persecutores crudeles, — Turcas, qui nomen Christianum delere minati sunt, haereticos a verae religionis doctrinae formula desciscentes, imprimis summum Episcopum Romanum, omniaque fata laeta et tristia, quae ecclesia Christiana ad finem orbis terrarum usque habitura sit describi, firmiter credit.

Praecipue in *Cantico Salomonis*, quidquid inde a Christo nato memoratu dignum accidit, recto ordine praedictum putat. In hujus libri interpretatione, cogitationis nimia quadam ubertate plane abreptus est, omnique certo caret fundamento, quo interpretem inniti oportet. Sic e. e. bellum inter Guelfos et Gibellinos gestum ¹⁾, τὸ *Interim* repudiatum ²⁾, transactionem Passaviensem ³⁾, Concilium Tridentinum ⁴⁾, Joannis Frederici, electoris Saxoniae, captivitatem ⁵⁾ multaque alia praedicta sibi invenisse videtur. Sic quoque mortem Gustavi Adolphi in Jesaiae cap. 33 : 7 praedictam censet; — Ungariae fata cap. 23 delineata dicit; ad consilium novos episcopatus in Belgio instituendi propheta, si Coccejo credimus, cap. 19 : 11 spectat; academiam Pragensem a Jesuitis occupatum iri Ezechiël cap. 39 cecinit dudum ⁶⁾.

Ad excessum usque in typis constituendis sedulum esse nostrum, patet quoque ex interpretatione, quae nobis occurrit

1) Cap. 6 : 9. 2) Cap. 7 : 6. 3) Cap. 7 : 10.

4) Cap. 7 : 8. ubi “depingitur,” ait, “Concilium Trident. sub emblemate palmae, arboris procerae, rigidae, fructum non admodum bonum ferentis.”

5) Cap. 7 : 5.

6) Videri possunt talia exempli tantum causa a Coccejo adduci, quum ad locum allatum dicat : “Si quis dubitet an ea sint implementa hujus prophetiae, is tamen non potest dubitare quin eae res gestae pro exemplis esse possint.” Mox autem addit : “Ceterum, si et sequentia aeque cum verbis conveniunt, ipse rerum ordo persuadebit hoc spectasse prophetam.”

ad *Exod.* 4:3—4. Moses divino jussu baculum projicit, qui in serpentem commutatus mox pristinam recipit formam. Quid Coccejus? — Is elegantissimum hic cernit typum Servatoris, post formam servi indutam, sceptro rursus gerendo destinati — “Sceptrum, ait, h. e. rex sit tamquam serpens et rursus sit rex: hoc est, filius Dei sit peccatum, ut regnet in aeternum in ecclesia.”

Sed reliqua audacium interpretationum prodigia taceamus, quae a Cocceji adversariis ad invidiam usque exaggerata sunt, sicut videre est maxime ex libro inscripto: *Entretiens sur les différentes méthodes d'expliquer l'Écriture, de ceux qu'on appelle Cocceiens et Voetiens*, edito Amstelod. anno 1707.

Quid autem hisce auditis cogitandum nobis est de Coccejo, quem toties ac tam acriter affirmantem audivimus “se non amplius uno sensu eodemque litterali in S. Scriptura admittere”? — Nonne potius is dici potest, qui quam longissime remotus fuerit a sensu litterali investigando, atque e contrario ubique videatur anxie id egisse, ut sensum occultum, mysticum in iis inquireret? Perpendamus quid verum sit. Primum, quod ad prophetarum sermones attinet, supra jam monui Coccejum in eorum explicatione versatum, revera primum litterali sensu eos exponere ¹⁾. Dein autem ad alia subjecta remotiora eos applicat, atque hoc quidem usque ad res minutissimas extendit. Quod sane consequens est ejus sententiae de ipsis prophetis, eorum munere atque effatis.

1) Conf. G. W. Meijer qui in o. l. sic loquitur p. 444 seqq.: “Hierbei würde man ungerecht gegen ihn werden, wenn man ihn einer Vernachlässigung des Wortverstandes beschuldigen wollte, den er vielmehr, auch im A. T., oft recht glücklich erörtert, ohne sich in kleinliche grammatische Fragen zu verlieren. Aber seine Föderaltheologie und seine Mystik lässt ihn bei den blossen Buchstaben nicht verweilen,” etc.

Itaque si ejus de sermonibus prophetis expositiones non admittendae sint, hoc inde mihi explicandum videtur, quod de illorum ipsorum indole perperam judicavit. Num hoc fecerit breviter nunc videamus.

Omnia, quae prophetae locuti sunt spectare ad Messiam ejusque in hisce terris regnum putat Coccejus. Improbanda haec opinio videtur, quippe quae inanibus, ut constat, nitatur hypothesis, omnique certo carcat fundamento. Imovero, historia nos docet, prophetarum haud praecipuum fuisse munus, vaticinia dare. Eorum enim maxime erat docere, de vitiis vitandis et moribus emendandis, de vera religione colenda ac tuenda bona consilia dare. Itaque prophetae ad aequales loquebantur, quos reprehendebant, increpabant, consolabantur. His portendebant mala ab hostibus imminencia; his spem meliorum temporum faciebant; hos ad mores emendandos graviter adhortabantur. Quid opus erat, ad remotissima continue descendere tempora, singulasque res post multa saecula futuras praedicere? Inter plerosque igitur magnae auctoritatis viros hodie constat, prophetas maxime de rebus sui aevi locutos esse. Nec tamen qui hoc ferunt, idcirco negant, eosdem saepius divino spiritu afflatos, quasi animi oculis, res futuri aevi praevidissee atque praenunciassse. Negari nequit, prophetas passim pulcherrimis imaginibus aevum illud depinxisse atque illustrasse, quo vera unius Dei cognitione et religione terra impleta esset, atque salute abundaret. Quod fecerunt, ut suorum oculos a praesenti statu tristissimo averterent, sensum religiosum acriter excitarent, ipsumque populum Israeliticum memorem redderent Jehovae, populum illum semper tuentis atque diligentis. Negari porro nequit, ab eo inde tempore, quo regnum Judaeorum ad interitum

vergebat, prophetas regem futurum expectasse e Davidis familia oriundum, potentissimum, sapientissimum ac felicissimum, atque vaticinatos esse, fore ut, eo regnante, respublica Judaeorum rursus floreret et inlaresceret, hostes suos devinceret, omnique prosperitatis genere abundaret. Prophetarum deinceps de Messia expectationes populi Israelitici variam conditionem moderatam esse, constat. Quatenus eorum vaticinia in Jesu Christo, uno vero Messia, impleta sunt, "Messiana" jure dicuntur. Vaticinia igitur Messiana non sic accipienda sunt, quasi continerent accuratam descriptionem omnium eorum, quae futurus Messias singulatim esset acturus et passurus, sed ita, ut prophetae pro divino, quo ferebantur spiritu, in iis exposuerint expectationes temporis felicioris, theocratiae perfectae.

Sed multi interpretes olim existimarunt, scriptores N. T. facem praeferre V. T. vaticiniis. Ita Coccejus quoque ad interpretationes provocat, quos de iis Christus et Apostoli dederunt, ab eodem Spiritu edocti, quo prophetae locuti sunt. Monendum autem videtur, singulorum auctorum scripta tum demum bene posse intelligi, quum ad notiones, quae inter aequales, ad quos verba fecerint, vigerent, recte animum attenderimus. Deinde tenendum est, Christum quoque et Apostolos ad sui aevi notiones attendisse, atque ita κατὰ ἀνθρώπων saepius disputasse, et in ea disputatione interpretandi et allegandi rationem inter Judaeos receptam haud semel secutos esse, ut ita Judaeos ex concessis erroris convincerent. Ideirco quum inter Judaeorum doctores, Christi et Apostolorum tempore, mos esset locos Scripturae allegare et applicare, contextum non respicientes, haud aliam rationem interdum Christus et Apostoli secuti sunt. Eam igitur sequens rationem,

Christus ad Judacos sui temporis Jesaïae verba transfert dicens ¹⁾: “Itaque completur in ipsis prophetia Jesaïae, quae dicit: Auditū audietis et non intelligetis: videntes videbitis et non cernetis.” Quicumque autem locum allegatum Jesaïae ²⁾ inspicit, facile videt de nullis aliis nisi de aequalibus suis, quos alloquitur, prophetam cogitasse. Eandem quoque allegandi rationem saepius sequitur Matthaeus. Sic in evangelii sui capite secundo, sectione 15, ita dicit: “Ut impleretur quod ait Dominus per prophetam dicentem “Ex Aegypto vocavi filium meum.”” Verba igitur, quae apud Hoseam ³⁾ Deus usurpasse fertur de populo Israelitico ex Aegypto a Deo liberato, ab Evangelista ad Jesum applicantur, infantem a parentibus in Aegyptum ductum, atque, Herode mortuo, in Palaestinam reversum. Quid plura afferam? Similia permulta in scriptis N. T. inveniuntur, quae maxime explicari debent ex allegorica et typica interpretandi ratione, quae id temporis apud Judaeos viguit. Auditores illi Judaci consuefacti erant argumentis ab allegorica interpretatione ductis, et his imprimis fidem habebant. Praecipue hoc patet ex epistolis Paullinis et ex epistola ad Hebraeos. Non semel enim, sed pluribus in locis, Apostolus Paulus litteris sacris V. T., quas allegat, mysticum sensum tribuit, et auctor epistolae ad Hebraeos prorsus id agit, ut oeconomiam Mosaicam ad Christianam applicet, transferat, et hanc illa dudum adumbratam fuisse ostendat. Quid de hacce interpretandi ratione cogitandum? — Doceat nos, ut rectius de ea judicemus, historia, unde illa sit orta. Ejus origo in

1) Matth. 13:14. Marcus 4:12.

2) Jes. 6:9.

3) Cap. 11:1.

remotissimo tempore quaerenda videtur. Notum est, Graecos Homerum suum tanti aestimasse, ut ex ejus rhapsodiis pueros instituerent, quasi omnes humanae sapientiae thesauri in illo uno essent reconditi. Quum vero, tempore procedente, philosophia inter Graecos magis coli coeperit, fieri non potuit, quin multos naevos in Homero suo detegerent, multaque de Diis carmine exposita invenirent, quae melioribus placitis philosophorum adversarentur. Ne igitur Homerum rejicere cogerentur, quamvis imagines Deorum, quas sibi animo effinxisset, a sanae mentis judicio abhorrerent, simul ne ea, quae falsa atque erronea de Diis cecinisset, errores propagarent et mores corrumpere, allegorice ejus carmina interpretari philosophi coeperunt. A Graecis hoc interpretandi genus ad Judaeos pervenit, qui in Syria et in Aegypto versabantur, et quibus consuetudo cum Graecis erat. Etenim, ne altera ex parte veneratio, qua semper libros Mosaicos amplexi erant, diminueretur eo, quod multa minoris momenti in iis sibi invenire viderentur; — nec non, ut, altera ex parte Moses cum philosophis, in quorum disciplinam se tradiderant, melius consentiret, eandem libros sacros interpretandi viam tentarunt, qua Graeci jam dudum in Homero suo explanando usi fuerant. Itaque sensum mysticum, sublimiorem sub sensu litterali latere contenderunt.

Neque vero in Aegypto tantum hoc allegoricae interpretationis studium Judaeis probabatur, sed et inter Judaeos Palaestinenses, ut jam vidimus, receptum est. Maxime id vigere coepit, postquam Synagogae ortae fuerunt post Judaeorum reditum ex captivitate Babylonica. Constat enim, tum ex scriptis N. T., tum ex Hebraeorum monumentis, praeter legis et prophetarum lectionem, sacras etiam orationes ad

populum in Synagoga congregatum habitas esse; quae orationes tales fuerunt, quibus non modo litteralis sacrae Scripturae sensus, sed et altior aliquis, profundior, mysticus exponeretur. Eandem interpretandi rationem Rabbini, qui post Christum natum vixerunt, secuti sunt. Ut nunc plures alios silentio praeteream, tantummodo ad auctores paraphrasium Chaldaicarum, quae in *Canticum Canticorum* et in *Ecclesiasten* exstant, provocare liceat. Et tota Cabbala inter Judacos tam celebrata ex illa originem habet. Patres ecclesiae hunc Judaeorum morem, quem in litteris sacris exponendis sectabantur, eo magis imitati sunt, quia Apostoli exemplo suo praeiverant, et quia ipsis patribus, si cum Judaeis vel Ethnicis disputarent, ista interpretatio praeopportuna fuit. Notissimum est, prae omnibus Originem hujus interpretationis patronum fuisse, quae usque ad nostra tempora fautores suos habet. En igitur breviter historiam interpretationis allegoricae hujusque originem valde probabilem expositam. Tempore Christi eam, quam memoravimus, acceperat indolem.

Christum Apostolosque ea interpretatione ubicumque opus esset, usos fuisse, constat. Praeterea non ii sumus, qui negare velimus, religionem Mosaicam revera tamquam typum esse religionis Christianae; sed caute hac in re est versandum, neque saltem ulterius in typis constituendis quam Christus et Apostoli progrediendum. Sin hoc nolis, ubi tandem, quaeso, finis ac terminus erit? Unice verus est sensus litteralis. — Solus ille est quaerendus. Unice vera interpretandi methodus est historica, altiori sensu accepta. Ex hac omnis certitudo pendet, quae in interpretando esse potest. Qui sanae mentis est et a lectore intelligi cupit scriptor, eam verbis vim tribuit, quae consuetudi-

ne et usu recepta est, et cuius vocabulo unam tantum significationem adjungit. Lectores, si arcanum et absconditum sensum praeter perspicue indicatum quaerant, pro ingenii sui indole et imaginationis vi alius alium sensum finget; non vero eum, quem scriptor voluit, percipiet. Quare interpretatio allegorico-typica universe est rejicienda. Hac enim adhibita, quot contortas explicationes multi interpretes dederint, dictu est difficile. Eam interpretandi rationem non veram esse satis jam patet, si interpretum, qui eam sequuntur, dissensum spectamus. Hi neutiquam inter se consentiunt, sed quo vividior et foecundior cujusque est phantasiae vis, eo latius divagatur; auctori, cujus interpretatur scripta, maxime aliena affingit illumque ex historia remotissimorum temporum illustrat. Quod ut luculenter intelligamus, pauca sufficiant, quae ex Cocceji interpretationibus attulimus, exempla.

Quid tandem, hisce auditis, nobis reliquum est ut dicamus de ratione, quam in interpretatione scriptorum V. T. Coccejus sectatus est? Vidimus, eam ad regulas sanae hermeneuticae exigi non posse ¹⁾. In eo vel maxime Coccejus errasse videtur, quod ubique scriptores V. T. Christum ejusque ecclesiam spectasse censet, omnesque res atque personas, de quibus in V. T. agitur, Christi religionisque Christianae typos esse ducit. Est ille error, illa mala hypothesis, quae Coccejum eo perducit, ut in allegoriis typisque constituendis omnem modum excedat. Profecto quis dubitet, quin multum hac in re debeat Coccejus Rabbini Judaicis, quibuscum ei jam adolescenti consuetudo fuit, et quorum scripta haud parvae utilitati sibi fuisse ipse profitetur? — Quidquid

1) Conf. quae de vaticiniis et typis in s. Script. nuperrime scripsit clar. A. Kuenen in diario *Godgel. Bijdragen*, Ilde stuk.

est, hoc saltem spero perspicuum jam nobis fore, — nequam perversas ejus interpretationes ex regula illa explicari debere “verba omne id significant, quod significare possunt.” Vidimus enim, regulam illam a Coccejo datam esse, ut caveret, ne interpretes, contextam orationem non considerantes, plus aut minus ex locis s. Scripturae efficerent, quam iis inesset. Perversa hypothesis dogmatica, — iterum iterumque repetimus, — causa fuit, cur tot interpretationes haud admittendas dederit, atque toties sibimet ipsi repugnarit stantenti “se non amplius uno sensu, eodemque litterali in Scripturis admittere,” quum ad sensum nimirum allegoricum et typicum convolaret. Et profecto id tantum, quod firmiter crederet, hypothesin illam totam fundatam esse in sola Scriptura, id tantum, dico, virum nostrum excusare potest, quem toties ac tam acriter in illos invehentem audivimus, qui cum praejudicata opinione ad Scripturam interpretandam accedere solebant.

§ 3.

*De vi ac efficacitate, quam Coccejus s. Codicis
interpres habuit, atque etiam nunc habere
meretur.*

Buddeus agens de s. Scripturae interpretibus, Cocceji tempore viventibus, sic scribit¹⁾: “Plerique illorum in eo studium suum posuerunt, ut quidquid grammatica aut critica ars, aut Hebraeae Graccaeque et aliarum linguarum notitia

1) In o. l. Tom. II, p. 1507.

suppeditabat, ad Scripturae sacrae adhiberent explicationem; ea quidem ratione, ut vocibus formulisque inhaerentes, de rebus ipsis accuratiorique earum notitia ex Scripturae sacrae haurienda, parum essent solliciti. Aliam autem viam ingressus est Coccejus, praestantissimis utique reformatae ecclesiae doctoribus adnumerandus. Quum enim nihil eorum, quibus Scripturae interpretem instructum esse decet, illi deesset; quum imprimis vero linguae Hebraeae haud vulgarem notitiam sibi comparasset; lince ita usus est praesidiis, ut, minutis procul facessere jussis, ea ubique quaereret et investigaret, quibus rerum divinarum, et saluti mortalium inservientium, intelligentia augeri posset. Unde et per illum theologia exegetica apud reformatos, certe in Belgio, novam velut accepit faciem, novamque quamdam ejus accessere inde licet periodum.”

Verissimum mihi videtur hocce Buddei iudicium, cui lubenter subscribo. Ex iis sane, quae in vita Cocceji memoravi, abunde apparet, eum per totam fere vitam intentis viribus id egisse, ut a nugis et quaestiunculis scholasticis theologos revocaret, eosque ad interiorum s. Scripturae reduceret perscrutationem. In ipsa hac Scripturae indagatione noluit, interpretem impediri neque philosophiae qualiscumque nec ecclesiae neque singulorum doctorum auctoritate. Voluit e contrario, interpretem ad s. Scripturam interpretandam aggredientem, plenissima linguarum cognitione instructum esse, praetereaque tali mente, quae ex sola s. Scriptura, repudiata omni humana auctoritate, sapere vellet. Ipsum Coccejum egregie hac in re praecessisse vidimus. Veritatem a Deo in Scriptura patefactam solam ac integram quaerere studebat. Qua in re, ut tuto atque

feliciter procederet, aliam atque aquales ingressus est viam, neque passim singulis Scripturae locis inhaerebat, sed inde ab initio filum Scripturae, ut ipse ait, sequi conabatur. Hanc solam esse viam veritatem recte inveniendi putabat. Eadem via progredientem vidimus illum eo pervenisse, ut theologiam suam, quae dicitur “foederalis” exponeret. Huic quoque consentanea erat, quod summa cum diligentia Christum in V. T. quaesiverit, imo vero totum Vetus Test. et oeconomiam Mosaicam speculum ac typum esse contenderit, in quo prophetice facies ecclesiae N. T. exhiberetur.

Gravissimos effectus habuisse hanc Cocceji viam ac rationem interpretandi s. Scripturam, historia luculenter docet. Certamina, quae super ea ejusque commentis in ecclesia Nederlandica exorta sunt enarrare, hujus loci non est. Summatim tantum quae inde prolata sint bona et mala attingere licet. Atque hic mihi occurrunt verba clarissimi Ebrard, qui de Coccejo disserens, eximias ejus laudes praedicat, quippe quem èt de ecclesia Nederlandica, èt universe de disciplinis theologiacis, èt de regno Dei egregie meritum esse dicat¹⁾. Quod ad primum attinet, jam non opus est disputatione. Sed et disciplinis universe theologiacis egregie profuit. Primo hic in censum venit, quod ex Cocceji schola prodierunt viri longe praestantissimi, qui studium exogeticum summa cum diligentia resuscitarunt; sicut ipse Coccejus, et ejus discipuli maximam praesertim operam dederunt linguae Hebraicae ejusque dialectis affinis, nec non antiquitatibus Hebraicis scriptisque Rabbiniis. Inter quos maxime celebrantur Fr. Burmannus, Jo. Braunius, Herm.

1) Vid. Herzog *Real-Encyclopädie für prot. Theol. und Kirche.*

Witsius, Sal. Tillius, C. Vitringa pater, Jo. v. d. Wayen alii. Quorum virorum studia deinde effecerunt, ut ea imprimis theologiae exegeticae pars, quae circa vaticini-
orum interpretationem versetur, in dies magis secundum Cocceji
methodum excoleretur ¹⁾, atque Grotiana idcirco interpretandi
ratio infringeretur. Fatendum quidem est, ab altera parte
hisce studiis interpretationem allegorico-typicam magis quam
fas est pervulgatam esse, ab altera vero parte, eadem studia
multum valuisse ad interiorum linguarum atque antiquitatum
Orientalium cognitionem, negari non potest. Porro, exulta
theologia foederali, disciplinam dogmaticam incrementa ce-
pisse haud contemnenda, procul dubio est habendum. Ipsa
denique illa theologia effecit, ut vera pietas insigniter pro-
moveretur ²⁾. Quibus omnibus consideratis, nemo non con-
cedat necesse est, Coccejum s. Codicis interpretem eam
habuisse vim et efficacitatem, ut èt theologiae universe, èt
ecclesiae Nederlandicae, èt regno Dei egregia praestiterit officia.

Forsitan hic quis arbitretur, Coccejum quidem eo tem-
pore, quo vixerit, virum magnum, imo illum fuisse, qui
proferendis artis hermeneuticae finibus, et restituendae verae
s. Scripturae interpretationis viae plurimum inservierit; sed
nostrae aetatis interpretes hoc duce ac magistro facile carere;
verae quidem interpretationis viam eum universe vidisse, et
quatenus potuerit tenuisse, sed quominus susceptam rem
arduam perficeret, pervulgatis sui temporis opinionibus im-

1) De hisce viris, eorumque studiis, scriptis, atque discipulis fusius egit
Jo. Fr. Buddeus in o. l. p. 1509 seqq. Conf. quoque Ypey en Dermont
Gesch. van de Herv. Christ. Kerk in Nederland, t. II.

2) Vid. quae de theologia foederali, a Cocceji discipulis exulta, atque de
ejus vi salutari in veram pietatem promovendam, in loco laud nuper monuit
cl. Ebrard.

peditum fuisse; aliis igitur inchoatum opus emendandum et absolvendum reliquisse, laudandam optimi viri voluntatem esse, sed vires ei defuisse. Si quis ita loquatur, respondeamus, nos non negare, eximios post Coccejum artem hermeneuticam fecisse progressus, neque igitur nos statuere, Cocceji disciplinam hermeneuticam eam esse, cui nihil addi aut demi et in qua nihil omnino aptius digeri et certius constitui possit. Procul absit! Profecto, hoc statuentes ipsius Cocceji menti repugnaremus, quum ipse suos semper discipulos adhortatus sit, ne in verba magistri jurarent, quod profectui studiorum valde noxium censuit esse. Concedimus porro, Coccejum pervulgatis sui temporis notionibus impeditum fuisse, quin ulterius procederet. Sic e. c. dogma theopneustiae litteralis, cui adhaerebat, effecisse videtur, ut arti criticae parum faveret. Licet autem haec ita sint, firmiter tenemus, Coccejum nostrae etiam aetatis interpretibus exemplum posse proponi, dignosque ejus commentarios esse, qui legantur. Quis enim illo accuratius praecepit de modo sensus litteralis universe in s. Scriptura reperiendi per tria illa praesidia longe aptissima, linguarum s. Codicis originalium cognitionem, contextum, et locorum parallelorum, quam vocant, comparisonem? Vidimus quam intentis viribus id egerit Coccejus, ut s. Codicis linguarum intimam cognitionem sibi compararet aliosque ad eam consequendam excitaret. Existimabat enim, et recte quidem, eruditam s. Scripturae interpretationem ad ejus doctrinam puram cognoscendam appime necessariam esse. Qua in re eo magis audiendus videtur, quum et hodie non pauci sint, qui sacram Scripturam aut omnino non attingant, aut in ea tractanda negligenter versentur, quippe cujus interpretationem eruditam ignorent

et pro nihilo putent. Contra et illi interpretes Coccejum audiant, qui in s. Scriptura interpretanda nimiam adhibent *ἀνπιβέλευ*, anxie et scrvilitèr quasi in sono haerentes verborum. Hoc enim interpretum genus merito reprehendit, omnesque, quibus illi delectabantur, ineptias, a s. Scripturae interpretatione caute segregavit.

Utilitatis porro fructum in interpretatione longe uberimum praeberè justam similitum s. parallelorum, ut dicunt, locorum comparationem, constat inter omnes, qui aliquid in hoc genere vident. Haec enim comparatio, nisi dissimilibus inter se conferendis pro luce offundantur tenebrae, eam univèrse vim habet, ut res vel sententia quaedam clarius distinctiusque intelligatur. Verum hac sensus investigandi ratione quis melius usus est Coccejo, qui viam, qua progrediendum sit, ut ad obscurorum et ambiguum intellectum perveniamus, suo hic exemplo munivit. Exemplis abstinèo. Egregie hoc interpretationis subsidio eum usum fuisse, testantur omnes, quos scripsit, commentarii.

In contextu denique considerando egregie quoque occupatus et laude dignus fuit. Quid? quod ipsa illa regula hermeneutica, de qua egimus, id imprimis efficere voluerit, ut interpres in loco aliquo explicando versatus, antecedentia et consequentia sedulo inspiceret ideoque verum sensum recte inveniret. Ne quis nobis objiciat, regula illa multos abutentes interpretes in pejora ruisse. Nihil enim est tam bonum, quo non male utatur hominum perversitas; optimarum rerum pessimus abusus esse solet, sicut in proverbio est. Abutentium autem culpam nequaquam in ipsas res transferendam esse constat.

Sed fortasse sunt, qui hic mihi sic occurrant, ut dicant.

Coccejum dogmaticis non raro rationibus in interpretando induci se passum esse, et subinde id magis egisse, ut suam tueretur opinionem, quam ut sententias s. Scripturae exponeret. — Coccejum saepius in hac praecipue disciplinae parte, qua interpretationes ad theologiam applicuit errasse, non ausim diffiteri. Neque hoc est, quod interpretem sequi velim. In eo autem, quod sensum litteralem ex s. Scriptura egregie plerumque eruerit, omnium laude ac imitatione mihi dignus videtur.

Restat aliquid verbo monendum. Sunt hodie, qui eam praesertim sententiam, quae libros sacros eodem modo tractari jubet, ac profanos, cupide in suas partes vocent, ut auctoritatem illorum deprimant, et doctrinae ibi traditae, quam jure divinam dicit homo probus, pervertant indolem. Hisce Coccejum indico, qui licet perversa theopneustiac notione instructus, in eo tamen quam maxime laudandus est, quod numquam levitatem quamdam in Scripturae interprete passus, ipse summo cum amore atque reverentia in ea interpretanda versatus sit. De rationis usu, quid multa? Vidimus, in hac quoque re Coccejum omnium mereri laudes, quippe qui libertatem ingenii humani cum in s. Codicis interprete, tum etiam in omnibus partibus doctrinae èt ipse tenuerit èt aliis concesserit fortiterque defenderit. Veram illam philosophiam, rerum omnium indagatricem, probe cognitam habuit, prudentemque ejus in s. litteris interpretandis usum exemplo suo probavit. Vanitatem autem sua aetate inepte philosophantium in interpretatione sacrarum litterarum graviter reprehendit.

Sed justo longior esse nolo. Ipse lector sedeat iudex. Liceat mihi huic specimini finem imponere verbis Speneri,

viri illius magni atque Cocceji laudatoris. Scribit ille in epistola ad quemdam amicorum haecce, quibus lubenter assentior: "Cocceji," ait, "in explicatione Scripturae diligentiam a multis annis in pretio habui. Invenio enim iudicium rectum, studium in textum non aliorum opiniones inferendi, sed ex eo sensum eruendi sincerum, adeoque animum nulli homini mancipatum, qualis libertas interpretem decet; plenum et perspicuum dicendi genus et industriam in connexionem ostendenda singularem, quamvis et hic bonus nonnunquam dormitet Homerus, et ubi suis servit hypothesebus dogmaticis, audiri non mereatur. Saltem si non alio, illo tamen uno de suis bene meritus est, quod ad Scripturae studium aliis exemplo praeiverit multosque excitaverit. Vix autem theologiae nostrae etiam coelitus beneficium majus contingere posse videtur, quam si magis magisque omnes nervos rerum sacrarum et doctores et studiosi intenderent, ut unum hoc necessarium prae reliquis urgeretur, atque exegetica ante omnes alias species primatum suum obtineret, imo principatum. Haec enim sola via esse videtur, ut ad priscam soliditatem, simplicitatem et virtutem, eruditio sacra redeat; imo, ita demum pietas profundiores radices actura est" 1).

1) Vid. Speneri de Coccejo iudicium in libro, cui titulus *Cons. Theol.* P. III, p. 149. Conf. quoque Tholuck, *Litt. Anzeighn.* 1833, S. 227.

V

T H E S E S.

VI

I.

Vehementer errant, qui Cocceji sententiam de verborum significatione, ex hisce tantum verbis intelligi putent: "verba id omne significant, quod significare possunt."

II.

Cocceji sententia de sabbati celebratione, ex interiore cognitione discriminis inter Veterem et Novam Oeconomiam orta est.

III.

Quod multi, qui dicuntur Coccejani, philosophiae Cartesianae addicti fuerunt, ex eorum odio philosophiae scholasticae maxime explicandum est.

IV.

Theologia, quae dicitur foederalis, ad veram pietatem augendam multum valuit.

V.

Verissima theopneustiae notio animo concipitur rite intellectis et collatis iis, quae leguntur 2 Petr. I:21, et Gal. II:20.

VI.

Talis interpretatio, qualem dedit cl. v. d. Palm ad Zachariae XI:12 et 13 haud ferri potest, quippe quae èt sanae artis hermeneuticae legibus repugnet, èt perversa vaticinii, quod dicitur Messiani, nitatur notione.

VII.

Mysticam interpretandi methodum, quae superiore etiam seculo inter Protestantes grassabatur, recte Ernesti rejecit docens, sanae hermeneuticae hanc primam esse legem: duplicem sensum non esse admittendum, sed unum tantum litteralem, quem grammaticum s. historicum vocat.

VIII.

Haec autem verissima lex rite distinguenda est ab interpretationis methodo historica, qua variae in s. Codice difficultates tollantur.

IX.

Matth. VI:1 pro vulgata lectione *ἐλεημοσύνην* legendum est *δικαιοσύνην*.

X.

Errant, qui evangelii Marci duodecim ultimos versus Marco abjudicent.

XI.

Nomen δ *πρεσβύτερος* in fronte 2^{ae} et 3^{ae} epistolae Joannae non impedit, quominus illae epistolae Joanni Apostolo tribuantur.

XII.

In versione Belgica, quae dicitur Ordinum Generalium, vocabula *δαίμων* et *δαίμόνιον* perperam reddita sunt *duivel*. Sic etiam cl. v. d. Palm ad Jac. II: 19 vocabulum *δαίμόνια* male vertit *duivelen*.

XIII.

Quaecumque contra conscientiam aguntur, peccata sunt. Minime autem bona sunt facta, quaecumque ex conscientia fiunt.

XIV.

Neque Reformati in Catech. Heidelbergensi, neque Lutherani in Form. Concordiae recte explicuerunt, quid significet, Jesum descendisse ad inferos.

XV.

Quae leguntur Hebr. VI: 4, 5 et 6 haudquaquam repugnant placito de perseverantia sanctorum.

XVI.

In rebus ad veram religionem pertinentibus, aliorum hominum auctoritate fidem niti, non licet.

XVII.

Religio Christiana jam ante Dagobert I. in Belgio cognita fuit.

XVIII.

Si qua perpetua inter orbis terrarum gentes sperari possit pax et amicitia, ea ab unica religione Christiana expectanda est.

XIX.

Veram auditorum pietatem orator sacer non potest excitare, nisi eorum mentes docendo fingat.

XX.

Qui ethices Christianae legibus plane constrictus est, vera fruitur libertate morali.

